DE

SUBLIMI

IN

EVANGELIO

CHRISTI

JUXTA DIVINAM

VERBI INCARNATI

OECONOMIAM.

AUCTORE

MARTINO GERBERTO

MONASTERII ET CONGREGATIONIS S. BLASII IN SILVA NIGRA ABBATE S. Q. R. I. P.

TOMUS III.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

TYPIS SAN-BLASIANIS 1793.

[illegible]

DE SUBLIMI
IN
EVANGELIO CHRISTI
CAPITA SELECTA.

CAPUT CVIII.
CHRISTO STRUCTÆ INSIDIÆ AD MORTEM.

Acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi: Exi, et vade hinc: quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, et dicite vulpi illi: *Ecce eiicio dæmonia, et ſanitates perficio hodie, et cras, et tertia die conſummor. Verumtamen oportet me hodie, et cras, et ſequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Jeruſalem.* Luc. XIII. 31. etc.

Videantur forte hi Phariſæi emiſſarii in Galilæa, ubi hæc facta ſunt, eorum, qui iam Hieroſolymis conſtituerant occidere Chriſtum, quo vulpina aſtutia eo allicerent illum, ut quod deſtinaverant, effectum ire

CAPUT CVIII. Sed intempeſtive.

poſſent, periculum quidem prætendentes ab Herode. Sed vox ἐντεῦθεν, quæ habetur in textu originali innuit eos indigenos fuiſſe Galilææ Herodis ſubditos. Ex reſponſione porro Chriſti colligitur ſubmiſſos eos ab Herode. Fuit hic Antipas filius Herodis M. qui Chriſtum infantem perſecutus pueros in Bethlehem occidi iuſſerat, Meſſiam promiſſum regem veritus. Idem forte timor ex fama de Chriſto, ac eius miraculis etiam filium iterum inceſſerat, ut cuperet eum finibus ſuis arcere, neſciens regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo, utpote qui non haberet, ubi caput reclinaret, ut alibi dixerat Luc. IX. 58. *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Aut forte Herodes necem intentabat Chriſto, idem ſibi ab eo, quod prius a Joanne formidans, ne is palam facinora ſua inceſſens apud populum, cuius favorem quovis modo aſtutus princeps aucupabat, ſuæ exiſtimationi detraheret.

At Chriſtus una vulpi Herodi, et vulpibus Phariſæis reſpondet, ex neutrorum deſtinatione ſe mortem propediem (unde non eſſet, quod ſibi Herodes a Chriſto timeret) ſubiturum quidem, ſed non in Galilæa, ubi Herodes poteſtatem vitæ et necis habebat, neque Hieroſolymis præciſe ad

ſeſtum illud ſcenopegiæ; ſed tunc, quando ipse voluit, qui dixit a): *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam illam. Nemo tollit eam a me: ſed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam: et potestatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Itaque nec ob timorem accelerabat iter, nec procrastinabat ob Judæorum exspectationem; ſed ſecundum voluntatem Patris ſui ſponte se accingebat, finem, ut modo intelleximus, verus agnus paschalis impositurus legalibus ſacrificiis, ipse ſacrificium futurus pro peccatis nostris b): *Impossibile enim est, ſanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Erat porro hic Herodes ille, ad quem Pilatus Christum miserat Luc. XXIII. qui *viso Jesu gavisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eoquod audierat multa de eo, et ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri.* Sciebat igitur Christus, Herodem curiositate, non religione ductum desiderare ſignum aliquod videre; ideo dicit: *Ite, et dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia, et ſanitates perficio etc.* reliqua etiam ad Phariſæos

a) *Joan.* X. 17. b) *Hebr.* X. 4. *etc.*

Caput CIX.

pertinent, univerſimque ad Judæos in Jeruſalem præprimis, cui ideo exprobrat: *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas a)*, iam occiſura etiam, quem vaticinati ſunt prophetæ. Idcirco *ecce, relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Quod propediem factum eſt in triumphali ingreſſu in Hieruſalem, ſperaturque aliquando futurum religioſius, et ſalubriter ante adventum Chriſti ſecundum.

CAPUT CIX.

ITER JESU IN JERUSALEM.

Factum eſt autem, dum complerentur dies aſſumtionis eius, et *ipſe faciem ſuam firmavit, ut iret in Jeruſalem.* Luc. IX. 51.

Ad opus redemtionis conſummandum.

Quæ hic anticipato dicit evangeliſta, iterato repetit, quæ Chriſto erant perferenda cap. XVIII. ingruente iam tempore, quo per paſſionem et mortem ſuam eſſet exiturus ex hoc mundo, reſurrecturus, et aſcenſurus in cœlum, rediturusque ad Patrem, ſæpe ſe inſidiantibus ſubduxit, abſcondit,

a) *Luc. XIII.* 34.

alio divertit. Exemplum diſcipulis ſuis dare voluit multis argumentis per vitam ſuam ſimplicitatis columbinæ et prudentiæ ſerpentinæ, quamdiu Evangelium prædicavit perſecutionibus et periculis expoſitus: quæ ſtudio, ut modo vidimus, declinavit, commoratus maximam partem in Galilæa, ut præfinitum præſtolaretur tempus, quo erat Hieroſolymis expleturus opus redemtionis noſtræ. Quo iam ingruente, ut oſtenderet, ſponte ſua ſeſe offerre ad mortem victimam, ipſe faciem ſuam firmat, ut iret in Jeruſalem. Dum decumbente Lazaro *eamus*, inquit *a*), *iterum in Judæam*, diſcipuli cohibere conantur: *Rabbi*, aiunt, *nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc? Reſpondit Jeſus: Nonne duodecim ſunt horæ diei? si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo.* Se ipſum lucem mundi indigitat, tempusque commoratus ſui in hoc mundo, ut lux Evangelii accenderetur per prædicationem ac miracula ſua, quorum omnium maximum reſuſcitatio Lazari erat, quo non ſolum multos Judæos ad credendum adduxerat, verum etiam effecerat, ut tanta celebritate clamantium in urbem ſuſciperetur, atque per aliquot adhuc dies in templo audiretur, quamdiu nempe dies erat, donec compre-

a) *Joan. XI. 7.*

Caput CIX.

henderetur ad paſſionem et mortem: quæ omnia diſcipulis non ſemel antea, nunc vero in hoc poſtremo itinere omnium apertiſſime et articulatim prædixit *a*): *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, et conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conſpuetur: et poſtquam flagellaverint, occident eum, et tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt, et erat verbum iſtud abſconditum ab eis, et non intelligebant, quæ dicebantur.* Quodſi vero hæc omnia ſingillatim intellexiſſent, quanto ſtudio et contentione ipſum avertere conati fuiſſent? At ipſe his omnibus cognitis, et ob oculos verſantibus *faciem ſuam firmavit, ut iret in Jeruſalem.* Et ut narrat Marcus X. 32. *Erant autem in via aſcendentes Jeroſolymam: et præcedebat illos Jeſus, et ſtupebant: et ſequentes timebant. Et aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ eſſent ei eventura: Quia ecce aſcendimus Hieroſolymam etc.* Vides hic notanter dici: *Et præcedebat illos Jeſus, et ſtupebant: et timebant.* Animadverterant igitur aliquid ſingulare in ardore præcedendi, et ſtupebant et timebant.

Referunt huc interpretes, quod iam notato cap. IX. v. 52. apud Lucam legitur: *Et miſit nuncios ante conſpectum ſuum: et euntes*

a) *Luc. XVIII.* 31. *Matth. XX.* 17. *Marc. X.* 32.

intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Jerusalem. Samaritani nempe cum viderent Christum religionis causa pergere Hierosolymam ad propinquum diem paschæ, quod erat præcipuum ſchismatis caput, eum non receperunt. Disciputi autem nuncii exardescentes vindictam cogitant: *Domine*, aiunt, *vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, et consumat illos? et conversus increpavit illos, dicens: Nescitis, cuius ſpiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Quid opportunius tunc dici poterat, dum iam in eo erat, ut opus redemtionis nostræ Hierosolymis consummaret; igne illo de cœlo ad ſecundum adventum ſuum dilato. Alius itaque ignis fuit, de quo Christus *a*): *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* ardens desiderium animi ſignificans, quo hic flagrantem se ostendit, dum *faciem ſuam firmavit, ut iret in Jerusalem*, immensam charitatem ſuam demonstraturus erga genus humanum, qua *maiorem*, ipsius effato, *nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, quod is pro nobis insuper fecit inimicis. Ecquid vero iam ſperandum nobis ab eo est reconciliatis? *Si enim cum inimici essemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii eius: multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipsius b*).

a) *Luc. XII.* 49. *b*) *Rom. V.* 10.

Caput CX.

CAPUT CX.

AMBITIO FILIORUM ZEBEDÆI.

Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans, et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Jeſus, dixit: *Neſcitis, quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Dicunt ei: Poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis; ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo. Matth. XX. 20. etc.

Volentium coronari antequam certaſſent.

Apud Marcum X. 32. perinde ac hic hiſtoriam hanc immediate præcedunt ea, quæ modo audivimus de prænunciata a Chriſto apoſtolis paſſione et morte ſua: ſequitur apud utrumque evangeliſtam indignatio reliquorum apoſtolorum de ambitioſa petitione matris, et filiorum Zebedæi. Probe autem animadvertendum, contentionem apoſtolorum inter ſe, quis eorum videretur eſſe maior Marc. IX. 31. Luc. IX. 44. ſimiliter præcedere denunciationem eorum, quæ paſſurus eſſet. At illi non ſolum

nihil horum intelligebant, ſed tantopere mentibus eorum inſederat vulgaris de Meſsiæ regno terreno opinio, ut hæc cauſa fuerit contentionis, quis eorum videretur eſse maior inter apoſtolos, et petitionis matris filiorum Zebedæi, ut ipſa matris petitio prodit: *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alter ad ſiniſtram in regno tuo.* Jam audierant, duodecim apoſtolos ſeſſuros ſuper ſedes duodecim, et iudicaturos duodecim tribus Iſrael, ex quibus primas affectabant fratres Jacobus, et Joannes, eoque maiori fiducia, quod iam cum Petro præ cæteris aſſumti eſſent, ac primum nunc nuncii præmiſſi in itinere Hieroſolymam, ubi regnum Meſsiæ iam ſtabiliendum, in animum induxerant. „Videbant ſe præ aliis, ſunt verba S. Jo. Chryſoſtomi *a*), in honore eſſe, et hinc ſe petitionem conſecuturos eſſe ſperabant. Sed quid petunt? Audi alium evangeliſtam hoc clare explicantem. Quod enim, inquit, prope Jeroſolymam eſſent, putarentque regnum Dei iamiam revelandum eſſe, hæc poſtulabant. Exiſtimabant enim regnum illud prope eſſe, et ſub ſenſum cadere, ac ſe quod petebant ſemel conſecutos, nihil triſte paſſuros eſſe: neque enim illud propter hoc ipſum tantum petebant, ſed ut ærumnas vitarent.“ Quid vero Chriſtus

a) *Hom. LXV. in Matth. n. 2. T. VII. p. 645.*

Caput CX. dicit: *Neſcitis, quid petatis.* Illi de terreno tantum regno, honore, et gloria cogitant, ignari adhuc cœleſtis regni æternæque gloriæ, quæ eos ſequantur, qui Chriſti calicem ſint bibituri. Toto cœlo ergo aberrabant in ſua petitione, multo maiora obtinentes, dum se calicem Domini bibere poſſe dicunt. „Ex animi fervore ſtatim promittunt *a*), neſcientes, quid dicerent, ſed exſpectantes, se quod petebant impetraturos eſſe. Quid igitur ille? *Calicem quidem meum bibetis, et baptiſmate quo ego baptizor, baptizabimini.* Magna illis prophetavit bona, hoc eſt: Martyrio dignabimini: patiamini, quæ ego patiar."

Erant diſcipuli adhuc ex illis, quos Chriſtus Luc. XXIV. 25. ſtultos et tardos redarguit corde ad credendum, quæ locuti ſunt non ſolum prophetæ, quia *oportuit pati Chriſtum, et ita intrare in gloriam ſuam*, verum etiam Chriſtus ipse: qui cum primum apoſtolos Matth. X. miſit, ſingillatim quæ ipſis eſſent ſufferenda, prædixit ſuo exemplo; quia *non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum.* Et: *Qui non accipit crucem ſuam, et ſequitur me, non eſt me dignus.* Seu ut habet Lucas XIV. 27. *Qui non baiulat crucem ſuam, et venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quod idem eſt ac illud: *Poteſtis bibere calicem, quem ego*

a) *Ibid. p.* 646.

bibiturus ſum? In Codd. Græcis legitur etiam apud Matthæum id, quod apud Marcum additur his verbis *a*): *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Et mox: *Calicem quidem quem ego bibo, bibetis; et baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini.* De quo Christus alibi *b*): *Baptiſmo autem habeo baptizari: et quomodo coarctor, usque dum perficiatus?* Πῶς συνέχομαι iuxta textum originalem, quo angustiæ ſignificantur, quas maxime expertus est in horto, ubi ei ſudorem ſanguineum expreſſerunt, rogavitque ter instanter: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte;* qui vero fuit calix novi testamenti in ſuo ſanguine: Unde apostolus comparationem instituens novi et veteris testamenti in ſanguine hircorum et taurorum ad emundationem carnis *c*): *Quanto magis*, inquit, *ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi? Et ideo novi teſtamenti mediator eſt; ut morte intercedente, in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* De hac hæreditate in regno Dei Christus dicit: *Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram*

Caput CX.

a) *Marc. X.* 38. 39. *b*) *Luc. XII.* 50.
c) *Hebr. IX.* 13. *etc.*

CAPUT CX.

meam, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo, ſed paratum per Chriſtum in morte ac ſanguine ſuo, qui eſt *primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ: qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo a*), ſunt verba S. Joannis unius ex filiis Zebedæi, dum in eo erat, ut, quod cum fratre promiſerat, calicem Domini, illæsus quidem ex ferventis olei dolio egreſſus in insulam Pathmos relegatus biberet, atque ad hoc etiam angelos ſeptem eccleſiarum Aſiæ, ſeptem Chriſti nomine ſcriptis animaret epiſtolis: *Ego Joannes frater veſter, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Chriſto Jeſu; fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, et teſtimonium Jeſu b*).

a) *Apoc. I.* 5. b) *Ib.* 9.

CAPUT CXI.

PARABOLA DE REGNO CHRISTI IN HOC MUNDO.

Hæc illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eoquod eſſet prope Jeruſalem: et quia exiſtimarent, quod confeſtim regnum Dei manifeſtaretur. Dixit ergo: *Homo quidam nobilis abiit in regionem loginquam accipere ſibi regnum, et reverti.* Vocatis autem decem ſervis ſuis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini dum venio. Cives autem eius oderant eum: et miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos. Luc. XIX. 11. etc.

Quod reiectum a Judæis ad Gentiles tranſit.

Præcedit hanc parabolam narratio de Zachæo principe Publicanorum divite iniuſto Chriſtum hoſpitio ſuſcipiente, atque per pœnitentiam in verum filium Abrahæ recepto, eoquod venerit Filius hominis quærere, et ſalvum facere, quod perierat. Apoſtoli in novam ſpem erigebantur, Chriſtum Hieroſolymam iam proficiſci ad inſtaurandum regnum, quod animo conceperant Judæi ad gentis ſuæ gloriam in reſtitutione regni Iſrael. Hæc connexionis eſt ratio ac procœmii. *Hæc illis audientibus*,

CAPUT CXI. *adiiciens dixit parabolam, eoquod eſſet prope Jeruſalem: et quia exiſtimarent, quod confeſtim regnum Dei manifeſtaretur.* Jam Chriſtus interrogatus a Phariſæis *a*): *Quando venit regnum Dei? Reſpondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum obſervatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic,* ſcilicet regnat, ſedem aut ſolium ſuum poſuit Meſſias: *Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.* At tale regnum, etſi ſemper cum Chriſto eſſent apoſtoli, necdum concipiebant, percipiebantque: iamque putabant quod confeſtim manifeſtaretur regnum Dei, theocratia, de qua Judæi gloriabantur. Apoſtoli vero poſt reſurrectionem, dum iam aſcenſurus erat Chriſtus in cœlum *accipere ſibi regnum* ad dexteram Dei ſedens, adhuc eum interrogant: *Num in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael b)?*

Jam a Chriſto, et mox ab apoſtolis prædicabatur *Evangelium regni*, ſed toto cœlo diverſum ab eo, quod exſpectabant Judæi terrenum *cum obſervatione* cum ſplendore mundano et potentia, dominatuque orbis, cuius domitorem ac dominum Meſſiam ſibi fingebant. *Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic,* in ſede David, monte Sion; ſed per totum mundum diffundetur regnum Chriſti in terris, Eccleſia catholica per

a) *Luc. XVII. 20.* *b*) *Act. I.*.

orbem. *Ecce regnum Dei intra vos est.* Jam adest, inter vos medius ſtat, *homo* ille *nobilis accipere ſibi regnum* Filius Dei, Verbum incarnatum: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis*, quam vos ſpernitis Judæi. *Ideo dico vobis: auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius a).* Hinc *constanter Paulus et Barnabas* adversantibus Evangelio Judæis, *dixerunt b): Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut ſis in ſalutem usque ad extremum terræ.*

Apostolos igitur primos ad constituendam per orbem Ecclesiam elegerat, deditque decem mnas homo ille nobilis, Christus Dominus ex nobilissima Abrahæ proſapia, immo cuius prosapiam Lucas usque ad Adam deducit; cives autem eius Judæi nempe eiusdem prosapiæ contribules oderant eum, ac etiamnum hodie dicunt: *Nolumus hunc regnare ſuper nos;* quemadmodum toties Pilato, regem eis Christum proponente, reclamant, nec titulum crucis ferunt: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Interim christianis, ſuis ſervis, divitiæ gratiæ eius ſunt

a) *Matth. XXI.* 43. b) *Act. XIII.* 46.

CAPUT CXI.

(ne quis de ſuo habere aliquid existimet aut esse) commissæ: *Negotiamini dum venio*, in tremendo nempe die iudicii tam particulari ſtatim post mortem, quam etiam universali, quando venturus est iudicare vivos et mortuos, et ſæculum per ignem: imo quotidie repetit rationem, quantum quisque negotiatus ſit; et quo quisque plus lucratus est, decies tantum, aut quinquies remuneratur: desidioso vero, qui quidem affert Domino mnam ſuam, quam repositam ſervavit in ſudario, illam aufert, eique donat, qui plures omnium mnas, decem ſcilicet acquisivit. *Et dixerunt ei: Domine habet decem mnas* q. d. cur Domine dabimus illi etiam hanc mnam, cum iam habeat decem? At nihil refert: *Dico autem vobis*, profertque Christus hanc tremendam cuique ſententiam, *quia omni habenti dabitur, et abundabit; ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.* Eadem verba leguntur Matth. XXV. 29. parallelæ de talentis parabolæ adiecta, perinde ac apud eundem Matth. XIII. Marc. IV. et Luc. VIII. parabolæ de ſeminante, interrogantibus discipulis cur in parabolis loqueretur Judæis, peterentque explicationem parabolæ: *Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: ut videntes, non videant, et audientes, non intelligant a).*

a) *Luc. VIII.* 10.

Quibus in verbis quod durum est, mitigatur parabola de ſeminante, et ſemine dum aliud cecidit ſecus viam, ſuper petram, inter ſpinas, aliud in terram bonam: quod explicatur in parabola de talentis, ac præſenti de homine nobili Filio Dei ad Judæos miſſo primum, deinceps vero eius Evangelio ad gentes translato. Ubi vides, nullam de ſervo nequam criminis fieri mentionem, tantum neglectæ negotiationis de mna commiſſa, gratia Chriſti ſervis ſuis ſcilicet chriſtiani nominis data. Jam vero quod perfidos et rebelles Judæos attinet *inimicos meos illos*, qui *noluerunt me regnare ſuper se: adducite huc*, uti revera, Joſepho Judæo ipſo ſpectatore excidii urbis Hieroſolymitanæ teſtante, contigit, quando ad feſtum undique terrarum Veſpaſiano imperatore concurrentes Judæi internecioni ſunt dati uti textus habet: *Et interficite ante me. Et his dictis præcedebat, aſcendens Jeroſolymam* ad conſummandum redemtionis opus flagrans.

Caput CXII.

CAPUT CXII.

TRIUMPHALIS CHRISTI INGRESSUS IN JERUSALEM.

Adduxerunt asinam, et pullum: et imposuerunt ſuper eos vestimenta ſua, et eum desuper ſedere fecerunt. *Plurima autem turba ſtraverunt vestimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, et ſternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, et quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis.* Matth. XXI. 7. 8. 9.

Inter turbarum acclamationes.

Videmus iam triumphalem Christi in urbem ingressum, celebremque acclamationem audimus: *Hosanna filio David* Messiæ ſcilicet, *qui venit in nomine Domini.* Sed quis est apparatus qualisve ad hunc triumphum velut ante victoriam, quippe de qua iam certus erat victor; ſecus ac Roma tunc tam celebrata ſuis triumphis.

Apparatum ipse indicit Christus: *Ite in castellum, quod contra vos est, et ſtatim invenietis, asinam alligatam et pullum cum ea: ſolvite et adducite mihi: et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet, et*

confeſtim dimittet eos. An non paradoxum, et abſonum, ne quid gravius dicam, diſcipulis videri poterat, inſcio domino aſinæ, eam ſolvere, et abducere? An vero non magis paradoxum, et incredibile prorſus effectum iri, quod reſurgens Dominus paucis poſt diebus, paucos piſcatores ac diſcipulos eosdem iubet ire in univerſum mundum et prædicare Evangelium omni creaturæ? utrumque autem, dum nihil hæſitantes faciunt, quod iuſſi ſunt, diſcipuli, factum ac impletum eſt. Revera, uti præſcius rerum omnium prædicit, accidit, et quod *Rex Iſrael* iuſſit, factum eſt incunctanter. Solventibus enim diſcipulis pullum dixerunt domini eius *a*): *Quid ſolvitis pullum?* At illi ut iuſſi erant, reſponderunt: *quia Dominus eum neceſſarium habet.* Et dimiſerunt eum; *duxeruntque illum ad Jeſum: Et iactantes veſtimenta ſua ſupra pullum, impoſuerunt Jeſum. Eunte autem illo, ſubſternebant veſtimenta ſua in via b*). In eo quod diſcipuli veſtimenta ſua ſternunt ſuper pullum apparet quidem ſumma paupertas: quod vero ſubſternebant veſtimenta ſua in via, triumphi eſt decus et magnificentia, quæ nulli unquam terreſtrium regum aut imperatorum contigit, nec quisquam ſibi expoſtulare eſt auſus triumphantium, ſoli Regi regum, et Domino dominantium de-

a) *Luc. XIX.* 33. *b*) *Ib.* 35.

Caput CXII.

latum debitum honorem. In asino animali contemptibili ſummam cernis humilitatem, nec tamen accommodatius aliquod erat ad manſuetudinem eius deſignandam, qua prope erat, ut duceretur tanquam agnus manſuetus ad victimam; atque etiam evangeliſta atteſtante: *Hoc totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam, et pullum filium ſubiugalis.* Amplior eſt locus Zach. IX. 9. ad explicandam totam œconomiam ſalvationis noſtræ in Chriſti humilitate: *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, et Salvator: ipſe pauper, et aſcendens ſuper aſinam, et ſuper pullum filium aſinæ.* At vero in ipſo hoc paupere et humili ſtatu Chriſti ſedentis ſuper aſinam ad hunc ſolemnem regis quaſi in triumpho ingreſſum, quanta conſpicua eſt gloria, quanta maieſtas in ſolemnibus acclamationibus: *Hoſanna filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis!* Populi ſalutem regibus precantur et vitam in publicis acclamationibus, hic celebratiſſimum in ſacris Judæorum *Hoſanna* acclamatur.

Commota univerſa civitate ſub his acclamationibus *a*), deducitur ad templum, ubi ſe prodit, quis ſit, cui acclamatum fuit: *Hoſanna filio David: Benedictus, qui venit*

a) *Matth. XXI.* 10.

in nomine Domini. Dum enim eiicit vendentes et ementes in templo *a*), et mensas numulariorum, et cathedras vendentium evertit, illud propheticum ſibi usurpat ceu Filius Dei: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Diciturque urbem ingressus introisse in templum, *circumspectis omnibus, tanquam Filius in domo ſua b*). Dum redux ex Bethania, ficui maledixit, genti ſcilicet Judaicæ, cui, temploque Hierosolymitano ſuccessura erat Ecclesia ex gentibus: cui concordat locus propheticus a Christo, cum eiiceret vendentes, allatus, ut apud Marcum XI. 17. habetur integer prout Isa. LVI. 7. legitur: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* Cum insigni prophetia ipso etiam opere demonstrata, dum facta expulsione profanatorum e templo, in eorum locum Ecclesia ſuccedit ex gentibus per orbem terrarum, ſubstituta ſynagogæ Judæorum. Et hic etiam in templo prosequitur eum acclamantium vox, dum ad eum cæci et claudi accesserunt, et ſanavit eos. *Videntes autem principes ſacerdotum, et ſcribæ mirabilia, quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David, indignati ſunt. Et dixerunt ei: Audis, quid isti dicant? Jesus autem dixit eis: utique nunquam legistis: Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem c*). Hæc gratissima con-

a) *Matth. XXI.* 12. *b*) *Hebr. III.* 6. *c*) *Matth. XXI.* 15.

CAPUT CXII.

gruentiſſimaque Christo erat acclamatio innocentium parvulorum, de quibus alias dixerat: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum:* de quibus item dixerat: *Quorum angeli ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis est:* qui cum Cherubim et Seraphim reliquoque cœlestis militiæ exercitu in omnem æternitatem *ſanctus, ſanctus, ſanctus* acclamant; natoque Domino *ſubito facta est cum angelo* nativitatem Christi pastoribus annuntiante *multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis a)*; cui convenit acclamatio dicentium: *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini, pax in cælo, et gloria in excelsis b)*, prout Lucas narrat, omnes turbas discipulorum gaudentes laudasse Deum voce magna ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus. Ab angelis illis „certe præclare Hebræorum theologi pueri edocti,“ a S. Eulogio Antiocheno archiepiscopo Serm. in Ramos palmarum inducuntur: „Eratque, pergit c), videre in Sion, cœlestia pariter ac terrestria vicariis ſibi respondentia vocibus, ſeque mutuo ſalutantia. Dicunt ſuperi: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax;* inferi respondent: *Pax in cælo, et gloria in altissimis.* Dixerunt angeli: *In terra pax;*

a) *Luc. II.* 13, b) *Ibid. XIX.* 38.
c) *T. XII. Bibl. PP. p.* 309.

homines clamarunt: *Pax in cœlo.* Quam ob rem? Quod nimirum ille adsit, qui omnibus clamat: *Pax vobis*, pro quo propheta precabatur, dicens: *Domine Deus noster pacem da nobis:* hoc est, mitte Filium tuum unigenitum, ut per eum nobis reconcilieris, videns naturam nostram per eum tibi unitam. Quam pacem videntes cœlestes chori clamabant: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax:* id est, perfecta Dei cum inimicis reconciliatio, quam et pueri cum docti essent, clamabant: *Hosanna, pax in cœlo, et gloria in altissimis.* Nam quæ olim infense habebant, fraterna nunc charitate conserta ſunt; unam cœlestia pariter ac terrena Christo cœlesti ſimul et terrestri divinitatis confessionem ac adorationem offerentia."

Caput CXIII.

CAPUT CXIII.

TURBA ACCLAMANTIUM CHRISTO DISCIPULORUM.

Cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini, pax in cœlo, et gloria in excelsis.* Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Luc. XIX. 37. etc.

Lapides clamantes.

Audivimus iam pueros post hæc in templo acclamantes: *Hosanna filio David a)*, principibus ſacerdotum et ſcribis bilem movisse ac invidiam; hic quidam Pharisæorum in via adhuc inducuntur petiisse a Christo, ut discipulos clamantes compesceret, quibus ille, *dico vobis*, ait, *quia si hi tacuerint lapides clamabunt.* Acciderunt hæc in declivo montis Oliveti, in quo postea ſedens Christus, dum destructionem urbis et templi prædicit: *Amem dico vobis*, ait *b)*, *non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non*

a) *Matth. XXI. 15.* b) *Ib. XXIV. 2.*

destruatur. Et tamen ad tantum lapidum fragorem tantamque ruinam necdum commoventur Judæi, adhuc manente ira Dei ſuper filios diffidentiæ, de quibus S. Jo. baptista: *Progenies*, ait a), *viperarum, quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira?* Multos Phariſæorum, et Sadducæorum ad baptiſmum ſuum venientes ad fructus dignos pœnitentiæ hortatus: *Et ne*, pergit b), *velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus iſtis ſuscitare filios Abrahæ;* quæ beata ſors filiis Abrahæ ſecundum ſpiritum ex gentilibus contigit: qui ſunt lapides illi vivi, qui I. Petr. II. dicuntur ædificari in ædificium ſpirituale. Atque „hæc expreſsior et verior intelligentia" S. Hieronymo c) est præsentis etiam S. Lucæ loci de gentilibus, qui ob duritiam cordis lapidibus alias comparantur; contigitque illis quod Deus promiſerat: *Auferam vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum:* Obmutescentibusque hactenus Judæis nos ex gentilibus orti accinimus: *Hosanna filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini etc.*

Accidit porro, ut postquam Christus emiſit ſpiritum, ſaxea etiam corda emollirentur, *omnis turba eorum, qui ſimul aderant*

a) *Matth. III. 7.* b) *Ib. 9.* c) *In Habacuc Lib. I. cap. 2. T. III. p.* 1608.

Caput CXIII. *ad ſpectaculum iſtud, et videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur a)*, dum petræ ſciſsæ, monumenta aperta ſunt, terra contremuit. Ven. Beda hic etiam notos eius a longe ſtantes inducit: „His tacentibus, ſcribit *b)*, lapides et ſaxa regem, qui venit in nomine Domini, magno clamore canebant. Emiſit enim ſpiritum, *et ecce terra mota est, et petræ ſciſsæ ſunt, et monumenta aperta ſunt:* quemque homines vel timore, vel perfidia confiteri trepidant, hunc duriſsima etiam elementa Deum mundi, ac Dominum aperto ore prædicant. Verum altiori myſterio gentium nationes incredulas aliquando, ac duricordes lapidum nomine demonſtrat, quibus ablato corde lapideo dedit cor carneum: hoc eſt ſenſibile, et humanum, quo Deum, creatoremque ſuum credere, laudare, et cernere poſſent. Etſi ergo turbæ tacuerint hominum, lapides clamabunt: *quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, et ſic omnis Iſrael ſalvus fieret.*" Referri ſolent ultima hæc apoſtoli ad Romanos verba ad futuram aliquando Judæorum converſionem. Chriſtus poſt triumphalem urbis ingreſſum, poſtquam Judæis ruinam Matth. XXIII. 38. prædixit (ad quam pertinent reliqua deinceps dicta Matth. XXIV. et XXV. maxime autem ad ruinam orbis ſeu conſummationem

a) Luc. XXIII. 48. *b) L. V. in Luc. XIX. T. V. p.* 405.

ſæculi) ultimo mox antea Judæos allocutus l. c. *Ecce relinquetur vobis*, ait, *domus veſtra deſerta: dico enim vobis, non me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Et egreſſus Jeſus de templo ibat*; nec amplius redibat. Exſpectamus igitur futurum tempus, quo Judæi Chriſto ſint *Hoſanna* ſincere et conſtanter acclamaturi. Verbis illis *Benedictus qui venit in nomine Domini* in mox citato Matthæi loco additur hic apud Lucam *pax in cælo, et gloria in excelſis*, forte, quia ibi de excæcatis Judæis ſermo eſt, inſtabantque fata, quæ in exciſione urbis ſubituri erant, diſperſioneque gentis, in qua etiamnum verſantur; hic autem apud Lucam de acclamatione diſcipulorum Chriſti, qui tunc aderant, ad eorum cenſum pertinentes, quibus in nativitate Chriſti ab angelis *Gloria in excelſis Deo, et in terra pax hominibus* eſt acclamatum: dum iam tunc tempus inſtaret, quo Chriſtus erat expleturus opus reconciliationis noſtræ, *pacificans per ſanguinem crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt a)*.

a) Col. I. 20.

Caput CXIV.

CAPUT CXIV.

CHRISTUS GRANUM MORTUUM ET SEPULTUM IN TERRA MULTIPLICANDUM.

Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: et ubi ſum ego, illic et miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. Jo. XII. 24. etc.

Eccleſia ex gentilibus congreganda.

Animadverte quomodo Chriſtus præmiſſa ſolita ſua aſſeverandi formula declaret, qua ratione ager dominicus Eccleſia per orbem inter gentes ſit ſeminandus, ipſeque adeo glorificandus morte ſua: et quam opportune rem ſuis diſcipulis aperiat, dum gentiles quidam ex his, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto, Jeſum videre deſiderant: fama nimirum et auditu miraculorum Chriſti excitati, tunc cum Judæi, apud quos patrata fuerant, Jeſum exterminatum ibant. Erant hæc ſemina Eccleſiæ ex gentilibus congregandæ fructus mortis ſuæ.

Caput CXIV.

Venit hora, inquit, *ut glorificetur Filius hominis*, Evangelium ſcilicet cunctis gentibus prædicetur, agerque dominicus fiat. Verumtamen ſicut triticum nonniſi cadens in terram mortuum fructificat, ita primum mors præcedat necesse est, agerque ſanguine est irrigandus. Loquitur primum de se, morteque ſua, deinde etiam ſuos ſuo exemplo hortatur, ut vitam ſuam perdere non timeant. *Qui amat animam ſuam, perdet eam etc.* Factum id insigniter imprimis, dum post mortem exemploque Christi tot millia martyrum ex gentilibus Eccleſiam illius irrigarunt ſanguine ſuo ad glorificandum Dei nomen. Sic Christus Petro denuntiat martyrium Jo. XXI. 19. *Significans, qua morte clarificaturus esset Deum.*

Christus rogat Patrem: *Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Turba Judæorum indigna non intellexit vocem, existimans *tonitruum esse factum. Alii autem dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit Jesus: Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Hæc est hora, de qua Christus: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.* Et in psalmo XLV. 11. *Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.*

CAPUT CXIV.

„Quid ſignificat illud: *venit hora?* quærit S. Jo. Chryſostomus *a)*, dixerat, *in viam gentium ne abieritis*, omnem Judææ præſcindens pervicaciæ anſam, illos cohibuit. Cum autem illi immorigeri manerent, gentiles autem accedere vellent, tempus demum, inquit, est ad paſſionem accedendi, cum omnia impleta ſint. Nam si contumacibus illis ſemper hæreremus, illosque accedere volentes non admitteremus, indignum hoc esset providentia nostra. Quia igitur discipulos ſuos post crucem ad gentes miſſurus erat, cum videt illas iam accedere, ait, tempus esse, ut ad crucem veniam. Non antea ſivit accedere, ut id esset in testimonium illis. Antequam enim illum repellerent, antequam in crucem agerent, non dixit: *Euntes docete omnes gentes;* ſed: *in viam gentium ne abieritis;* et: *Non miſſus ſum nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel;* et: *Non est bonum accipere panem filiorum, et dare canibus.* Cum autem odio haberent eum, et ita odio haberent, ut occiderent, ſuperfluum erat persistere, renitentibus illis. Nam recusarunt illum dicentes: *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Tunc demum illos dimisit, quia ipsi priores dimiserant eum. Ideo dicit: *Quoties volui congregare filios vestros, et noluistis?* Quid ſibi vult, *granum frumenti, nisi cadens in terram mortuum fuerit?* De cruce

a) Hom. LXVI. n. 2. T. VIII. p. 396. *etc.*

loquitur. Ne enim turbarentur, cogitantes tunc illum occiſum eſſe, cum gentes acceſſerint, dicit: Hoc ipſos maxime ad accedendum inducit, hoc prædicationem meam augebit. Deinde quia ſermonibus non ita perſuadebat, a rerum experientia ipſos allicit dicens: In frumento hoc accidit, ut mortuum maiorem fructum afferat. Si hoc in ſeminibus, multo magis in me.“ Nempe ut paucis in h. l. poſt S. Auguſtinum Tr. 51. in Joannem Ven. Beda rem declarat *a*): „Se dicebat ipſum eſſe mortificandum, et multiplicandum: mortificandum infidelitate Judæorum; multiplicandum fide omnium populorum.“ Et S. Bernardus *b*): Moriatur igitur granum, ſurgat gentium ſeges. Oportet pati Chriſtum, et reſurgere a mortuis, et prædicari in nomine eius pœnitentiam, et remiſſionem peccatorum, non ſolum in Judæam, ſed etiam in omnes gentes.“ Fructus divini huius grani frumenti, ut ſeipſum magiſter humilitatis in eo momento vocat, quo erat mortificandus exinaniendusque, ſtatim se exeruit, dum tam ſubito augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ut quemadmodum Acta Apoſtolorum produnt *c*), paſſim millenus,

Caput CXIV.

a) *T. V. p.* 559. *T. IV. p.* 1310.
b) *Serm. XV. in cantica n.* 3.
c) *Act. V.* 14.

Caput CXIV. ac immenſus per orbem terrarum ſurgeret fructus, apoſtolis currentibus, Chriſtumque etiam morte ſua clarificantibus, ſicut Joannes de Petro, cui Chriſtus mortem etiam crucis prædixit, loquitur *ſignificans, qua morte eſſet clarificaturus Deum.* Et S. Ignatius ad martyrium feris Romæ obiiciendus properans, Romanosque rogans, ne mortem ſuam impedirent: „Frumentum, inquit *a*), Chriſti ſum, et per ferarum dentes molar, ut purus panis Chriſti inveniar." Viſusque eſt eorum etiam, quos Chriſtus ad contemnendam animam ſuam in hoc mundo, ſeque crucifixum ſequendum eſt hortatus, ſanguis frugifer in agro dominico. „Plures efficimur, teſtis oculatus, ait Tertullianus *b*), quoties metimur. Semen eſt ſanguis Chriſtianorum;" quibus dum iam repletus eſt mundus, qui cum apoſtolo dicere poteſt: *Mihi mundus crucifixus eſt, et ego mundo*, granum mortificatum multum fructum affert: qui *odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.*

a) *Epiſt. ad Rom. n.* 4. *b*) *Apol. c.* 37.

CAPUT CXV.

CHRISTUS IN CRUCE OMNIA AD SE TRAHENS.

Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte esset moriturus.* Jo. XII. 31. 32. 33.

Expansis complexus brachiis.

„O admirabilis potentia crucis, exclamat S. Leo *a*), o ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini, et iudicium mundi, et potestas est crucifixi! Traxisti enim Domine omnia ad te: et cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem, et contradicentem tibi, confitendæ maieſtatis tuæ ſensum totus mundus accepit. Traxisti Domine omnia ad te, cum in execrationem Judaici ſceleris unam protulerunt omnia elementa ſententiam, cum obscuratis luminaribus cœli et converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum se usibus negaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam ſcisso templi velo Sancta Sanctorum ab indignis

a) *Serm. LVII. de Passione Domini VIII. p.* 59.

CAPUT CXV. Pontificibus receſſerunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem, et lex in Evangelium verteretur. Traxiſti Domine omnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbratis ſignificationibus tegebatur, pleno apertoque ſacramento univerſarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim et ordo clarior levitarum, et dignitas amplior ſeniorum, et ſacratior eſt unctio ſacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum, una corporis et ſanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, et ita in te univerſa perficis myſteria, ut ſicut unum eſt pro omni victima ſacrificium, ita unum de omni gente ſit regnum.“ Verſat deinceps illud Oſee XIII. *O mors, ero mors tua, et ero morſus tuus inferne!* Et I. Cor. XV. 21. quo loco et alibi apoſtolus Adamum ſecundum opponit primo *quoniam quidem per hominem mors, et per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Chriſto omnes vivificabuntur.* Et ad Gal. III. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis, qui pendet in ligno.*

Caput CXV.

„Ut, ſicut canit Eccleſia, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur," diabolus ſcilicet, de quo Chriſtus: *nunc princeps huius mundi eiicietur foras: Et ego si exaltatus fuero omnia traham ad meipsum.* S. Chryſoſtomus in h. l. „Traham, inquit *a*), utpote a tyranno detentos, qui non posſint per se accedere, et eius obsistentis manus effugere. Alibi autem illud Rapinam vocat. *Nemo potest ſpolia fortis rapere, nisi prius fortem alliget, et tunc vasa eius rapiat.* His eius violentiam ſignificat." Huic nempe per peccatum obligati fueramus, quod ſeducendo primos parentes intulerat mundo, dum Adamum induxit, ut de vetiti ligni fructu ederet. „Ille, ſunt S. Procli archiep. Conſtantinopolitani verba *b*), manum in arborem extendit, mortemque decerpsit; hic manus in cruce expandit, mundumque in ulnas accepit: ac clamat in Evangeliis: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.*

Quis tenerior modus ac ratio excogitari potuiſſet, nos per mortem ſuam ſibi reconciliatos ambabus veluti ulnis in gratiam recipiendi, et amantium more amplexandi? uti per Jeremiam dicit Dominus *c*): *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans.*

a) *Hom. LXVII. in Joan. n.* 3. *T. VIII. p.* 403.
b) *Orat. II. de Incarnatione Domini n.* 3. *T. IX. Bibl. PP. p.* 621. *c*) *Jerem. XXXI.* 3.

Caput CXV.

Et per alium prophetam prædictum est *a*): *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum.* Quod SS. PP. interpretantur exemplo patris filium prodigum recipientis, qui accurrens *cecidit ſuper collum eius, et osculatus est eum.* In quæ verba S. Petrus Chrysologus *b*): „Rogo, quis hic desperationis est locus? Quæ hic excusationis occasio? Hic ſimulatio quæ timoris? Nisi forte timetur occursus: terret osculum: turbat amplexus, et capere ad vindictam, non recipere ad veniam pater creditur, cum filium trahit manibus, claudit gremio, ligat lacertis." Sic expansis in cruce brachiis nos quoque peccatores Christus amplecti gestit, ſibi reconciliatos: quod unicum nobis aspicientibus pendentem in cruce Salvatorem nostrum est ſolatium. Sed quot eheu ſunt etiamnum inter christianos quoque, quales futuros Judæos prædixit Isaias propheta, et apostolus deploravit *c*): *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.* Id vero hic ante omnia animadvertendum, dixisse Christum *omnia traham ad meipsum*, dum *quidam gentiles, ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo d*) per apostolos cupiebant Jesum videre veluti primitiæ Ecclesiæ ex omnibus genti-

a) *Osee XI.* 4. *b*) *Serm. III. p.* 5.
c) *Rom. X.* 21. *d*) *Jo. XII.* 20.

bus congregandæ missis apostolis in universum mundum ad prædicandum Evangelium. Caput CXVI.

CAPUT CXVI.

MALEDICTIO POPULI JUDAICI.

Circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit. Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea. Et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: *Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Marc. XI. 11. etc.

Hæc Matthæus etiam proxime iungit ſolemni ingreſſui Jesu in urbem et templum *a*), ubi eiecit vendentes et ementes, et principes ſacerdotum et ſcribas compeſcuit, indignatos pueris *hosanna filio David* accinentibus. S. Joannes autem iis, quæ proximis ſectionibus attulimus, addit adhuc admonitionem ſeriam *b*): *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: et* In ficu arefacta, et excisa.

a) *Matth. XXI.* 19. *etc.* *b*) *Jo. XII.* 35. *etc.*

Caput CXVI.

qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis. Hæc locutus est Jesus, et abiit, et abscondit se ab eis. Cum autem tanta ſigna fecisset coram eis, non credebant in eum: ut ſermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? etc. Subdit nihilominus et ex principibus multos credidisse in eum, *ſed propter Pharisæos non confitebantur, ut e ſynagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Videtur colligi posse, ne receptum quidem ſuisse a quoquam post tam celebrem eo die ingressum hospitio; aut certe illud iusto detrectavit iudicio, ut, cum iam vespera esset hora, relictis illis exiret in Bethaniam cum duodecim. Mane igitur cum nihilominus rediret in urbem, ac esuriret maledixit fici arbori. Quod quis dubitet, mystica ratione fuisse factum? „Quid enim, ſunt verba Sedulii *a*), materies ſine ſensu peccaverat? præsertim, quæ fructum, ſicut, Marcus evangelista commemorat, incongrui ratione temporis non habebat, nisi ad instructionem Dominus nostræ utilitatis hoc ageret, qui factorum ſermonumque parabolis vitale nobis iter ostendit.“

Pertinet huc alia de arbore fici parabola Luc. XIII. 6. quam *habebat quidam*

a) *Paschal. Operis Lib. IV.* 3.

plantatam in vinea ſua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. In hanc commentatus S. Ambroſius: „Quid ſibi vult, quærit *a*), quod in Evangelio ſuo Dominus frequenter fici parabolam inducit? Habes enim alibi, quod iuſſu Domini viriditas omnis huius ligni frondentis aruerit: unde intelligis omnium creatorem, qui poteſt imperare naturis, ut vel areſcant ſubito, vel vireſcant. Alibi ex teneritudine arboris huius et foliis commemorat coniici ſolere æſtatis adventum, utroque ſignificans et Judaicæ plebis inanem, quam prætendebat, gloriam velut florem in adventu Domini decidiſſe; quia operibus infructuoſa durabat.“ Explicans poſtea tres annos, quibus infructuoſa iam fuerat: „Venit, inquit *b*), ad Abraham, venit ad Moyſen, venit ad Mariam, hoc eſt, venit in ſignaculo, venit in lege, venit in corpore.“ Sic igitur dum Chriſti et apoſtolorum prædicatio fruſtra eſt, iam iuſto Dei iudicio a Chriſto maledicta penitus ſuccidenda, et in ignem mittenda exaruit. Nihil terribilius eſſe poteſt hoc, quod oſtendere voluit Chriſtus in arefacta fici arbore, exemplo in Judæorum ſtatu, quem deflevit proxime adhuc antecedente die, cum appropinquaret civitati, quam videns flevit ſuper illam

a) *Lib. VII. T. I. n.* 160. *p.* 1448.
b) *Num.* 166. *p.* 1450.

Caput CXVI. dicens: *Quia ſi cognoviſſes et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Non ceſſavit tamen Chriſtus verba ſalutis impendere quotidie Judæis, rediens paucis illis diebus ad urbem et eſuriens eorum ſalutem: ut diſcipulis demonſtraret exemplum, quos ad prædicandum Evangelium deſtinaverat; ſed dum fruſtra faceret, illi Dei iudicio iuſto relinquendi erant. *Vobis*, ut eos Paulus et Barnabas alloquuntur, *oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce convertimur ad gentes.*

Animadvertendum vero eſt, quod dicit evangeliſta, Chriſtum cum veniſſet ad ficum, nihil inveniſſe præter folia, quia nempe usque ad adventum Chriſti omnia in figura tantum contingebant: *Non enim erat tempus ficorum*, usque ad Chriſtum, qui fructum arboris vitæ in medio paradiſi plantatæ humano generi reſtituturus advenerat, a quo fructu arcebamur ob guſtatum fructum arboris vetitæ ſcientiæ boni et mali. Sed in Chriſto iam aderat tempus, dum is ſuſpendendus in ligno maledictum arboris erat ablaturus in gentibus, qui fruſtra, factus in Judæa homo, per tres prædicationis ſuæ annos eſurierat fructum in Judæis, quod exponitur in parabola de arbore fici infructifera plantata in vinea. Nobis autem Judæorum exemplum terrori eſſe, debet.

CAPUT CXVII.

DE SUA POTESTATE INTERROGATUS CHRISTUS A PRINCIPIBUS SACERDOTUM.

Cum veniſſet in templum, acceſſerunt ad eum docentem, principes ſacerdotum, et ſeniores populi, dicentes: In qua poteſtate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc poteſtatem? Reſpondens Jeſus, dixit eis: Interrogabo vos et ego unum ſermonem: quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam, in qua poteſtate hæc facio. *Baptiſmus Joannis unde erat? e cœlo, an ex hominibus?* At illi cogitabant inter se, dicentes: Si dixerimus, e cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis illi? si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem ſicut prophetam. *Et reſpondentes Jeſu, dixerunt: Neſcimus. Ait illis et ipſe: Nec ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio.* Matth. XXI. 23. etc.

Fecit Dominus noster, quod olim divinitus ſuggeſſerat Salomoni Prov. XXVI. 4. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis; ſed reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens esse videatur.* Circum-

Quæstione de baptiſmo Joannis eos conſtringit.

Caput CXVII. dederunt aliquando Christum Judæi, et dicebant ei a): *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Offendebantur quam maxime principes ſacerdotum et ſeniores populi, ſcribæ et Phariſæi, quod non accepta a se auctoritate munus docendi usurparet, non attendentes ad missionis ſuæ auctoramentum in ſignis et virtutibus, quas faciebat. Erat tamen unus ex principibus Judæorum, qui venit ad eum nocte, et dixit ei: *Rabbi, ſcimus, quia a Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Sed pleriſque aliis id persuadere Christus non potuit cæcis, ut cæco illi nato, cui oculos aperuit: cuive (uti mulieri quoque Samaritanæ ultro se Messiam professus est) ſtudiose occurrit, *cum inveniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit ei Jesus: Et vidiſti eum, et qui loquitur tecum, ipse est,* ſtatim ille: *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum:* quique palam cæcitatem ſynedrio exprobravit visu ſibi reſtituto: *In hoc enim mirabile est, quia vos neſcitis, unde ſit, et aperuit oculos meos.* b).

a) *Joan.* X. 24. b) *Ib.* IX. 30.

Poſtera quamprimum die (ne quid de Lazari ad vitam revocatione dicam) poſt triumphalem in urbem ingreſſum, *acceſſerunt ad eum cæci, et claudi in templo, et ſanavit eos a)*, videntibus principibus ſacerdotum et ſcribis *mirabilia, quæ fecit:* et iam iterum quærere audent, et interpellare docentem in templo, *in qua poteſtate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc poteſtatem?* Quem in locum S. Hieronymus „Poterat, ſcribit *b)*, Dominus aperta reſponſione tentatorum calumniam confutare; ſed prudenter interrogat, ut ſuo ipſi vel ſilentio, vel ſententia condemnentur.“ Poterat utique, ut fecerat prius, ad opera ſua, quæ nemo alius unquam prophetarum fecerat, provocare. Sed ficus iam erat arefacta: iam ſecuris ad arborem poſita erat: iam excæcati cæcos primum heri illuminatos, claudosque ambulantes ipſi apertis oculis, plenoque die non videbant. Igitur Chriſtus provocando ad ſua opera ac miracula fruſtra, ut alias, fuiſſet.

Caput CXVII.

Vide igitur, et admirare divinam ſapientiam: quomodo eos interrogatione ſua ſtringat de baptiſmo Joannis: nihil opus eſt dicere, ipſi anguſtias ſuas produnt, ad quas ſunt redacti: *Si dixerimus e cælo*, aiunt,

a) *Matth. XXI.* 14. *b)* *Lib. III. in cap. XXI. Matth. T. IV. p.* 100.

Caput CXVII. *dicet nobis, quare ergo non credidiſtis.* Libenter ergo ſeſe, niſi timuiſſent turbam, expediſſent, dicendo, baptiſmum Joannis fuiſſe ex hominibus, idque, cum Joannes nullum fecerit ſignum, potius dicere potuiſſent, quam de Chriſto, qui ſe ex Deo eſſe tot miraculis demonſtravit. Quare dum ſe neſcire ex aſtutia dicunt, unde baptiſmus Joannis ſit, indigni erant, quibus iterum Chriſtus miſſionem ſuam a Deo expromeret, quam malitioſe tot miraculis demonſtratam mente perverſiſſima non credebant. Obſtinatiori Judæis animo ſunt hodierni increduli ad miracula, quæ nobis in ſcriptura ſacra narrantur, Chriſti et diſcipulorum eius, atque identidem in Eccleſia ad comprobandam veram religionem fiunt; eo iam protervïæ progreſſi, ut fieri poſſe miracula negent: dumque, quæ ſunt captu ſuo ſuperiora, credere detrectant, in Pyrrhoniſmum prolabuntur, quaſi cum Judæis dicentes: *Neſcimus*, iuſto iudicio Dei in ſua perplexitate et incredulitate relicti, forte cum J. J. Rouſſeau ab angelo doceri expoſtulantes.

CAPUT CXVIII.

Caput CXVIII.

FILIUS RESIPISCENS, ALTER INOBEDIENS.

Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. Ille autem reſpondens, ait: Nolo. Poſtea autem, pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens, ait: Eo, domine, et non ivit. *Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jeſus: Amen dico vobis, quia publicani, et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Venit enim ad vos Joannes in via iuſtitiæ, et non crediſtis ei. Publicani autem, et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei. Matth. XXI. 28. etc.

Ad Judæos incredulos redarguendos parabola.

Adora hic divinam in Chriſto benignitatem perinde ac ſapientiam, qui cum reſpondentibus in mox propoſita quæſtione de baptiſmo Joannis, an ex Deo ſit, vel ex hominibus, ſe neſcire, prout merebantur, reſpondit: *Nec ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio:* in hac nihilominus co-

miter eos adigit parabola, ut proprio ore ipſi in ſe ſententiam dicant: dum quærit, quis ex duobus filiis fecerit voluntatem patris, an qui promiſit, et non fecit? an qui renuit, et poſtea pœnitentia ductus fecit, quod iuſſit pater, quales nempe erant publicani et meretrices? „Eoquod illi, ſunt verba S. Hieronymi *a*), qui per mala opera Deo ſe ſervire negaverant, poſtea pœnitentiæ baptiſmum acceperint a Joanne. Phariſæi autem qui iuſtitiam præſeferebant, et legem ſe Dei facere iactabant, Joannis contemto baptiſmate, Dei præcepta non fecerunt.“ Vis elenchi in his Chriſti verbis conſiſtit: *Venit enim Joannes in via iuſtitiæ, et non credidiſtis ei:* nullum aliud ſignum miſſionis ſuæ oſtentabat quam viam iuſtitiæ, qua nempe peccatores ad agendam pœnitentiam, faciendosque fructus dignos pœnitentiæ Deo ſunt obſtricti; hoc autem neglexerunt facere ad prædicationem Joannis: *Publicani autem, et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pænitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei.* S. Hieronymus parabolam eandem l. c. de gentilibus et Judæis porro ſic interpretatur: „Primo dicitur gentilium populo per naturalis legis notitiam: *Vade et operare in vinea mea*, id eſt, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Qui ſuperbe reſpondit: *Nolo.* Poſtea vero

a) *Loc. cit.*

in adventu Salvatoris acta pœnitentia operatus eſt in vinea Dei, et ſermonis contumaciam labore correxit. Secundus autem filius populus Judæorum eſt, qui reſpondit Moyſi: *Omnia quæcunque dixerit Dominus, faciemus;* et non ivit in vineam, quia interfecto patrisfamilias filio, ſe putavit hæredem." Eandem reſponſionem Moyſi factam in eandem ſententiam profert ad interpretationem huius parabolæ S. Jo. Chryſoſtomus Hom. LXVII. in Matth. n. 2. T. VII. p. 665.

Quodſi ad noſtra tempora animi attentionem reflectamus, in hodiernis nimium rigidis morum cenſoribus præſertim quoad tribunal ſacramenti pœnitentiæ id deprehendere licet, quod ad locum nobis præpoſitum notavit S. Hieronymus de Phariſæis, quos alias Chriſtus redarguit, quod alligarent onera gravia et importabilia. Nolim ego eam hic refricare accuſationem, qua pricipuis quibusdam Janſenii ſectatoribus imputatum eſt, ad ſuffodienda præcipua religionis chriſtianæ capita, imprimis pœnitentiæ ſacramentum, et communionem euchariſticam, eſſe inductum rigoriſmum, ut obſtaculis ac difficultatibus oppoſitis arcerent fideles ab horum ſacramentorum uſu, dum ſeveriore diſciplina maximum

CAPUT CXVIII.

oſtentant pietatis zelum. Sed nimio certe hoc zelo atque exaſperato rigore facile in deſperationem aguntur, atque a ſpe veniæ averti proclive eſt peccatores: qui dum ad reconciliationem ſeſe accingunt, illi ex duobus filiis ſimiles dici poſſunt, qui iubenti patri dixit: *Eo, domine, et non ivit*, quando obiectis difficultibus absterriti retro cedunt. Alliciendi vero ſuaviter peccatores, ut fiant ex nolentibus volentes iuxta parabolam, exemplum Chriſti in publicanis et meretricibus habemus. Sed quo hi ſint animo, ſi iuxta Janſenium etiam „aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus et conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſtque illis gratia qua poſſibilia fiant?" An non Chriſti illud hic locum haberet: *Si hæc in viridi, in arido quid fiet?* Sed, dum hæc a Chriſto dicta ad Judæos pertinent, nobis non eſſe deſperandum de gratiæ vigore, quot, quæſo, et quanta ipſæ ſacræ ſcripturæ ſuppeditant exempla perinde atque evangelica promiſſa, ac per ſpei, fiduciæque plenam doctrinam ſalutarem incitamenta, gratiæque fomenta?

CAPUT CXIX.

CHRISTUS LAPIS ANGULARIS.

Dicit illis (principipibus ſacerdotum, ſenioribus populi, et Phariſæis) Jesus: Nunquam legiſtis in ſcripturis: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? *A Domino factum eſt iſtud, et eſt mirabile in oculis noſtris: Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Matth. XXI. 42. etc.

Judaiſmus et Gentiliſmus utrumque experti ſunt, ut et cadentes ſuper lapidem angularem Chriſtum Jeſum, quibus nimirum erat lapis offenſionis et petra ſcandali, confringerentur, cadensque ſuper eos lapis hic contereret ipſos. Judæi hoc primum ſuſtinuerunt, ac etiamnum ſuſtinent, quibus id Petrus Act. IV. 11. exprobrat: *Hic eſt*, inquit, *lapis, qui reprobatus eſt a vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli.* Et Paulus ad Rom. IX. 32. *Offenderunt enim*, de iisdem Judæis ait, *in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem*

Credentibus, non credentibus petra ſcandali.

Caput CXIX. *offenſionis, et petram ſcandali: et omnis, qui credit in eum, non confundetur a).* Fecerunt hoc credentes in Christum Gentiles, de quibus paulo ante apostolus: *Gentes quæ non ſectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem, quæ ex fide est.* Solebat, ut Bern. Lamy in apparatu biblico obſervat cap. 12. reus mortis ſic præcipitari, ut impingeret magno alicui lapidi: quo vulnere si non moreretur, alter lapis ei impingebatur, ad quod alludit Dominus dum ait, *et qui ceciderit ſuper lapidem istum, confringetur, ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Sic porro deinceps Gentilismus hostis christiani nominis et persecutor obrutus corruit comminutus et redactus in nihilum, idque Romanum Imperium per irruptiones nationum barbararum, ipsamque Romam toties vastatam mansit fatum, ut aperte omnino Dan. II. explicatur, prout in ſtatua aurea, argentea, aerea, ferrea ac fictili regi Nabuchodonosor in ſomno quatuor regna ſeu monarchiæ mundi fuerunt præsentata: *Donec abscissus est lapis de monte ſine manibus; et percussit ſtatuam in pedibus eius ferreis, et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat ſtatuam, factus*

a) *Isai. VIII.* 14. *et XXVIII.* 16.

eſt mons magnus, et implevit univerſam terram. Et mox: *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, et conſumet univerſa regna hæc: et ipſum ſtabit in æternum. Secundum quod vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, et comminuit teſtam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum etc.* Diffuſa nimirum per univerſam terram Eccleſia Chriſti lapidis angularis, *a Domino factum eſt iſtud, et eſt mirabile in oculis noſtris!* Neque enim maius eſt, aut cogitari poteſt miraculum, quam totum mundum in Chriſtum crucifixum, *Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam a*), credidiſſe. „Tria ſunt incredibilia, inquit S. Auguſtinus *b*), quæ tamen facta ſunt: Incredibile eſt, Chriſtum reſurrexiſſe in carne, et in cœlum aſcendiſſe cum carne: Incredibile eſt, mundum rem tam incredibilem credidiſſe: Incredibile eſt, homines ignobiles, infirmos, pauciſſimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe.“ Utinam, quas maiores noſtri feliciter ſuperarunt difficultates contra vim omnem poteſtatum ſæculi ac tyrannorum in ſuſcipiendo Evangelio, nihil obſtante doctrina in myſteriis a ſenſu communi perinde aliena, ac vitæ norma

CAPUT CXIX.

a) *I. Cor. I.* 23. *b*) *Lib. XXII. de Civ. Dei c.* 5.

Caput CX X.

abhorrente a moribus inolitis, oppoſito item cultu religionis avitæ, opinionibusque vulgi imperiti et peritorum philoſophorum, utinam, inquam, illas et nos non moremur difficultates et obstacula in conservanda fide! utinam, ah utinam non divina hæc fides nostris diebus flocci magis magisque fieret! Sic I. Pet. II. 7. *honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra ſcandali his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo et positi ſunt.* Tribus illis incredibilibus a S. Augustino notatis incredibilius adhuc videri queat, post tot ſæculorum decursum in ipso hodie Ecclesiæ gremio multiplicari hos *qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi ſunt*, qui ſpreto obsequio fidei infallibili Ecclesiæ iudicio debito, arbitrium ſibimet passim ac libertatem, quam Protestantes primum contra tribunal Ecclesiæ usurpantes Pyrrhonismo, incredulitati, ac irreligioni portam aperuerunt, adhuc graviori periculo (ut omnium maxime horrificum in Voltairio exemplum habemus) ſumunt: *Impossibile est enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti ſunt Spiritus ſancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque ſæculi futuri, et prolapsi ſunt, rursus renovari ad pœnitentiam* a).

a) *Hebr. VI.* 4.

CAPUT CXX.

Caput CXX.

PARABOLÆ IN JUDÆOS PARRICIDAS.

Cum audiſſent principes ſacerdotum et Phariſæi parabolas eius, cognoverunt, quod de ipſis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam ſicut prophetam eum habebant. Matth. XXI. 45. 46. et XXII. 1. etc.

In ſalutem gentium.

Ponit hæc evangeliſta poſt parabolam de patrefamilias vinitore, Deo nimirum, qui plantavit vineam in veteri teſtamento, et ſepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, genti Judaicæ in peculiarem populum ſibi aſſumtæ, atque ab omnibus inſultibus tam fortiter cuſtoditæ: cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos prophetas, quos apprehenſos alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidarunt. Noviſſime autem miſit Filium ſuum Jeſum Chriſtum, quem ipſum apprehenſum eiecerunt extra vineam, et occiderunt. Quærit iam Chriſtus: *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, et vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Obſerva vero, apud Lucam

Caput CXX. post hæc ultima verba aliam, ad præmiſſam interrogationem, responſionem haberi nempe: *Abſit*, quam tribuit S. Jo. Chryſoſtomus presbyteris et doctoribus, postquam animadverterant, in ſe eſſe dictam parabolam: qui non poterant non ſcire, Chriſtum ſe Filium Dei dixiſſe: et hinc quærebant eum tenere.

Vides vero quam aperte et perſpicue Chriſtus hic Judæis in faciem prædixerit, quod propediem erant in eum perpetraturi, tradentes *eum in damnationem mortis, et crucifixerunt eum a)*, *apprehenſum eum* nempe *eiecerunt extra vineam, et occiderunt b)*; et licet illis loqueretur Chriſtus in parabolis, *ut intelligentes, non intelligant*; parabolam hanc tamen non potuerunt non intelligere in ſe eſſe dictam, dum necdum extremam in eius morte conſumaſſent malitiam. Aperta eſt pariter capite præcedenti explicata ob reprobatum ab eis Chriſtum lapidem angularem commeritæ pœnæ in eos ſententia: *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius c)*. Eſt hoc quod iam Matth. VIII. 11. miratus fidem Centurionis gentilis, dixerat: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, et Occidente venient et recumbent cum Abraham, et Iſaac, et Jacob in regno cælorum, filii autem*

a) *Luc. XXIV.* 20. b) *Matth. XXI.* 39. c) *Ib.* 43.

regni eiicientur in tenebras exteriores. Quæ ipsiſsima verba in mox ſequenti parabola de nuptiis *a*) in Judæos dicit Christus, ſciens, quæ in se machinarentur, et propediem facturi essent, profert de homine rege, qui misit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, prout ſupra vidimus factam invitationem ad cœnam magnam. Ac illi quidem, qui erant invitati ſese excusaverunt, reliqui vero tenuerunt ſervos eius, et contumeliis affectos occiderunt. *Rex autem, cum audisset, iratus est: et missis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum ſuccendit.* Vides hic omnia explicatius articulatiusque haberi, quæ urbem et gentem Judæorum manerent fata, quam in priori de vinitore, et vinea: in qua quidem ea narrantur, quæ usque ad mortem Christi a Judæis erant perpetranda, generatimque dicitur malos male perdendos, et vineam locandam aliis agricolis, Gentibus nempe. Hic vero, quod nos nunc attinet, porro explicatur: non omnes nempe ex his ad nuptias vocatos ſalvos fore; ſed hominem, qui adesse non veretur non vestitus veste nuptiali, ligatis manibus et pedibus mittendum in tenebras exteriores, ubi erit fletus et ſtridor dentium. Tremenda nobis est, quæ postremo additur ſententia: *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.*

Caput CXX.

a) *Matth. XXII. 9.*

Caput CXX.

Sententia hæc terribilis ſalutari nos timore concutere debet, quos ſecunda pars parabolæ attinet, Eccleſiam nimirum ex Gentilibus congregatam, ad nuptias agni vocatos. Cum enim nuptiis in Chriſti adventu iam paratis, qui invitati erant Judæi, non eſſent digni, ſervi regis apoſtoli iuſſi ſunt, ire in univerſum mundum invitare ad nuptias *a*): *Ite ergo ad exitus viarum, et quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſervi eius in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos et bonos: et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intravit autem rex, ut videret diſcumbentes, et vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit.* Eſt hoc, quod apoſtolus Coloſs. III. 9. etc. nos monet, exuere veterem hominem et induere *novum, qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creavit illum. Ubi non eſt Gentilis, et Judæus, circumciſio, et præputium, Barbarus, et Scytha, ſervus et liber: ſed omnia et in omnibus Chriſtus.* Quam optime hæc D. Pauli dicta congruunt cum illis, quæ Luc. XIV. 21. in conſimili aut eadem parabola de invitatis ad nuptias, recuſantibus Judæis, habentur: reverſum nempe ſervum iuſſum, *pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introducere;* dum neminem omnino a nuptiis

a) *Matth. XXII. 9. etc.*

ſuis cum Eccleſia excludit per catholicum orbem divinus paterfamilias, exire etiam in vias et ſepes iubens: quarum ſepium ſpinas nunquam non experti ſunt Evangelii miniſtri usque ad ſanguinis etiam copioſi effuſionem, primis præſertim ſæculis; cum toto licet obnitente orbe *compellunt intrare*, ita mandante patrefamilias, *ut impleatur domus mea*, Eccleſia per univerſum mundum.

CAPUT CXXI.

REDDERE QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI; ET QUÆ DEI, DEO, JUBET CHRISTUS.

Dic nobis, quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæsari, an non? Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numisma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: *Cuius eſt imago hæc, et ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt cæsaris, cæsari; et quæ ſunt Dei, Deo.* Et audientes mirati ſunt, et relicto eo abierunt. Matth. XXII. 17.

Declinata prudenter et religioſe officiorum colliſione.

Poſtrema hæc verba oſtendunt, ipſos eos miratos fuiſſe divinum reſponſum, qui ad tentandum eum miſſi ſunt a Phariſæis: quique callide exiſtimabant, in alterutram

Caput CXXI. partem neceſſe fore, ut impingeret Christus, ſive pro cenſu dando pronunciaret, ſive pro non reddendo cæſari; quo ſeditionis auctor accuſari poſſet, ut aperte apud Lucam notatur factum, ut traderent illum principatui, et poteſtati præſidis; ſecus vero si pro Romanis ſententiam dixiſſet, civium ſuorum ac diſcipulorum animos a se alienaret. At ipse ſibi numiſma cenſus exhiberi iubet, atque per hoc eos convincit, ſceptro a Juda ſublato, eos dominio cæſaris ſubiectos eſſe, cuius ceu ſupremi principis imagine moneta eſſet ſignata, quam pro cenſu reddere deberent, ſeu tributo. Unde reddere iubet cæſari, quæ ſunt cæſaris, ſimulque Deo, quæ ſunt Dei: ne prætextu obligationis reddendi cæſari, quæ ſunt cæſaris quiſquam deſit in iis, quæ Dei ſunt, dum iam erant, inſtabantque tempora, quando contra vim voluntatemque principum et poteſtatum huius ſæculi officia religionis erant impendenda. Ipse paulo ante de se Christus prædixerat, filium hominis tradendum eſſe *gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum:* Suis etiam diſcipulis iam prænuntiaverat, fore eos ad præſides et reges ducendos *a*).

Quid vero egerint apoſtoli in prima ſtatim Evangelii prædicatione, Acta Apoſt.

a) *Matth.* X. 17. 18.

docent: cum primum enim post acceptum Spiritum S. auſpicarentur munus apostolicum, prohibiti a principibus ſacerdotum *Petrus et Joannes, respondentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conſpectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate a).* Quod hic fecerunt apostoli, regreſſi ad opus ministerii ſui iterum comprehensi, facere divinitus ſunt iuſſi: *Iniecerunt manus in apostolos, et poſuerunt eos in custodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, et educens eos, dixit: Ite, et ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius b).* Exprobrantibus autem rem magistratibus, Petrus et apostoli, idem, quod antea, responſum dederunt: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Ut vero nihil, quominus Deo redderent, quæ Dei ſunt, in ſuo miniſterio illos cohibere potuit; ita etiam cæſari, quæ cæſaris ſunt, reddenda idem apostolorum princeps docens: *Subiecti igitur estote,* ait c), *omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia ſic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quaſi liberi, et non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei.* Cum enim cernerent homines, Evangelii præcones intrepidos nulla

Caput CXXI.

a) *Act. IV.* 19. b) *Ib. V.* 18. c) *I. Petr. II.* 13.

Caput CXXI. vi aut potentia poſſe cohiberi, ne quod Dei eſſet, in ſuo miniſterio Deo redderent, facile hoſtes fidei ſibi in animum inducere poterant, illos, quæ cæſaris ſunt, reddere detrectare, ac excutere ſubiectionis iugum. Hinc etiam D. Paulus ipſe ab angelo Act. XXVII. monitus: *Ne timeas Paule, cæſari te oportet aſſiſtere* (ut nempe intrepidus Deo, quæ Dei ſunt, redderet) Rom. XIII. ad obtemperandum poteſtatibus ſublimioribus prolixe fideles hortatur, ad reddendum nimirum, *quæ ſunt cæſaris, cæſari; et quæ ſunt Dei, Deo.* Ubi argumentum a minori ad maius locum habet: ut ſi ſublimioribus poteſtatibus huius ſæculi omnis anima ſubiecta ſit oporteat in iis, quæ ſunt cæſaris; id religioſius faciendum ſit in illis, quæ Dei ſunt, erga conſtitutas a Deo ſublimiores poteſtates hierarchicas. Hinc eſt, quod Chriſtus de numiſmate cenſus interrogatus, ab imagine cæſaris tranſeat ad imaginem Dei nobis a creatore impreſſam.

Obligatio hominis ob imaginem Dei in se.

Vidimus initio ſtatim huius operis Longinum ſcriptorem ethnicum tractantem *de ſublimi* tantopere admiratum τὸ ὕψος in verbis illis Dei creantis: *Fiat lux, et facta eſt lux.* Sed non initiatus myſteriis noſtris non potuit aſſequi vim verborum, quæ paulo poſt leguntur *a*), dum perfectis huius mundi

a) *Gen. I. 26.*

visibilis operibus Deus creaturus hominem ens intellectuale, qui cæteris rebus velut rector esset ac gubernator, analogia quadam ſui in res universas regiminis, veluti ſecum consilium iniens: *Faciamus*, inquit, unde SS. Patres mysterium SS. Trinitatis colligunt, *hominem ad imaginem et ſimilitudinem nostram: et præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum*, ut iam hic tertio, ac deinceps etiam non ſemel repetitur in libro Genesis *a*), et aliis divinis ſcripturis. Tum vero postquam Gen. II. 7. Moyses hominem e limo terræ formasse Deum dixisset, *et inspiravit*, addit, *in faciem eius ſpiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* inspirata quasi divini numinis aura entis ſummi ac perfectissimi intellectu et voluntate præditi in uno ſupposito, homine ex anima et corpore constante, qui ſibi intellectu rerum ideas repræsentaret, atque voluntatis imperio, quæ est ipsa voluntas, ſuum ſibi etiam corpus ad nutum haberet, ſubiectum cum aliis omnibus, quatenus regimen ſuum attinerent, ut dirigerentur omnia ad unicum illum rerum creatarum omnium finem, gloriam Dei, primi principii ac finis ultimi, hominis imprimis, ad ima-

Caput CXXI.

a) *Gen. V.* 1. *et IX.* 6.

Caput CXXI. ginem Dei creati intellectu et voluntate præditi: quo redit lex illa charitatis Dei, *ut diligatur ex toto corde, ex toto intellectu, ex tota anima, et ex tota fortitudine a)*. Ad hoc homo in ſtatu integritatis a Deo fuerat tum naturalibus facultatibus, cum etiam ſupernaturalibus instructus „Secundum illud, ſunt verba D. Thomæ *b)*, Eccl. 17. *Deus fecit hominem rectum.* Erat enim rectitudo ſecundum hoc, quod ratio ſubdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animæ corpus. Prima autem ſubiectio erat causa ſecundæ, et tertiæ. Quamdiu enim ratio manebat Deo ſubiecta, inferiora eidem ſubdebantur.“ Provocat ad S. Augustinum, qui lib. XIII. de civ. Dei de ſtatu naturæ corruptæ dicit: „Quod posteaquam præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente divina, de corporum ſuorum nuditate confusi ſunt. Senserunt enim motum inobedientis carnis ſuæ tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ.“ Rem ab ovo repetens S. Hilarius verbis illis Gen. II. 7. modo allatis præ oculis habitis: *Et inspiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ etc.* „Inspirationi ergo huic, ait *c)*, præparatus, ſive formatus est, per quam natura animæ et corporis in vitæ perfectionem quodam inspirati ſpiritus fœdere con-

a) Marc. XII. 33. *b) I. P. q. 95. art. 1.*
c) In Psalm. CXVIII. lit. X. n. 8. p. 300.

Caput CXXI.

tineretur. Scit in ſe duplicem B. Paulus eſſe naturam, cum ſecundum interiorem hominem delectatur in lege, et cum aliam in membris ſuis videt legem, quæ ſe captivum ducat in lege peccati. Quod ergo fit ſecundum imaginem Dei, ad animi pertinet dignitatem. Quod autem formatur ex terra, ſpeciei corporis, naturæque primordium eſt.“ Eſt hoc, quod D. Paulus dicit *a*): *Si eſt corpus animale, eſt et ſpiritale, ſicut ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.* Hoc ita accipiendum hic eſt, quod, dum primus homo, quando Deus inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, factus eſt in animam viventem in ſtatu integritatis, delapſo eidem ex hoc integritatis ſtatu, Chriſtus factus ſit in ſpiritum vivificantem: ſicuti idem apoſtolus ad Epheſios IV. 22. monet: *Deponere ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, et induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, et ſanctitate veritatis:* nempe ut ad Coloſs. III. 9. ait: *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creavit illum.* Induere

a) *I. Cor. XV.* 44.

CAPUT CXXI.

igitur iubemur novum hominem, *qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia et ſanctitate: quique renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creavit illum*, ſcilicet ad imaginem et ſimilitudinem, quam renovatam, redintegratamque Deo conditori redhibere debeamus. Ut ſicut Chriſtus ob numiſma cæſaris imagine ſignatum cæſari reddendum iubet, quæ ſunt cæſaris, ita etiam *quæ ſunt Dei, Deo;* eoquod *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine a*), imago Dei, quam peccato fœdatam ſuæ integritati ipſe Chriſtus reſtituit. Pulchre Tertullianus tempore adhuc perſecutionum utramque, quando officiorum erat maxima colliſio, chriſtianorum obligationem explicat. „Antichriſto iam inſtante, ſcribit *b*), et in ſanguinem, non in pecunias hiante chriſtianorum, quomodo mihi proponere poteſt ſcripturam eſſe: *Reddite, quæ ſunt cæſaris, cæſari?* Miles me, vel delator, vel inimicus concutit, nihil cæſari exigens, immo contra faciens; cum chriſtianum legibus humanis reum, mercede dimittit. Alius eſt denarius, quem cæſari debeo, qui ad eum pertinet, de quo tunc agebatur, tributarius, a tributariis ſcilicet non a liberis debitus. Aut quomodo reddam, quæ ſunt Dei Deo? utique proinde imaginem et monetam ipſius inſcriptam nomine eius, id eſt,

a) *Pſalm. IV.* 7. *b*) *Lib. de fuga in perſec. p.* 542.

hominem christianum? Quid autem Deo debeo, ſicut denarium cæsari, nisi ſanguinem, quem pro me Filius fudit ipsius? Quodsi Deo quidem hominem et ſanguinem meum debeo; nunc vero in eo ſum tempore, ut quod Deo debeo, expostuler, utique fraudem Deo facio, id agens, ne quod debeo, ſolvam." Origenes pro more ſuo ad ſensum mysticum delapsus: „Qui facit, inquit *a*), opera rectoris tenebrarum istarum, portat imaginem eius, cuius habet opera, quam præcepit Jesus esse reddendam et proiiciendam de vultu nostro; assumendamque eam imaginem, iuxta quam a principio ad ſimilitudinem Dei conditi ſumus." Nec abludit S. Jo. Chrysostomus *b*): „*Redde quæ ſunt cæsaris, cæsari*, ait, de iis id ſolum intellige, quæ nihil pietatem lædunt; ita ut si lædant, iam non cæsaris, ſed diaboli tributum et vectigal ſint." S. Augustinus in illud Psalm. IV. n. 8. *c*): „*Signatum est in nobis lumen vultus tui*, tanquam denarius, inquit, ſignatur regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem et ſimilitudinem Dei, quam peccando corrupit: bonum ergo eius est verum, atque æternum, si renascendo ſigne-

CAPUT CXXI.

a) *In Lucam fragm. Hom. XXXIX. T. III.* 978.
b) *Hom. LXX. n. 2. in Matth. T. VII. p.* 688.
c) *T. IV. p.* 15.

Caput CXXI. tur. Et ad hoc credo pertinere, quod quidam prudenter intelligunt, illud quod Dominus viso cæsaris nummo ait: *Reddite cæsari, quod cæsaris est, et Deo, quod Dei est.* Tanquam si diceret: quemadmodum cæsar a vobis exigit impressionem imaginis ſuæ, ſic et Deus: ut quemadmodum illi redditur nummus, ſic Deo anima lumine vultus eius illustrata atque ſignata." Et in Psalm. XCIV. n. 2. *a*): „Si cæsar quærit in nummo imaginem ſuam, Deus non quærit in homine imaginem ſuam? Ad hanc ſimilitudinem nos Dominus noster Jesus Christus invitans, imperat nobis, ut nostros etiam inimicos diligamus; et dat exemplum de ipso Deo: *Sicut Pater vester*, ait, *qui in cœlis est, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos et malos, et pluit ſuper iustos et iniustos. Estote ergo ſicut Pater vester perfecti.* Cum dicit: *Estote ſicut ille perfecti*, ad ſimilitudinem nos invitat etc."

a) *Ib. p.* 1023.

CAPUT CXXII.

RESPONSUM SADDUCÆIS MATERIALISTIS DATUM.

Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei. In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlo. De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt a Deo dicente vobis: *Ego ſum Deus Abraham, et Deus Iſaac, et Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Matth. XXII. 29. etc.

Caput CXXII.

Quo demonſtratur vita æterna.

Poſtquam diſcipuli Phariſæorum cum Herodianis interrogantes, an cenſum liceret dare cæſari, confuſi receſſerant, *mirati in reſponſo eius*, mox Sadducæi acceſſerunt, qui, ut Act. XXIII. 8. legitur, *dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque angelum, neque ſpiritum*, exiſtimantes nimirum, doctrinam hanc in ſcripturis non reperiri veteris teſtamenti, in quo promiſſiones factæ præſentem tantum vitam ſpectare illis videri poterant, qui fidem integram non ſervarunt in Chriſtum Meſſiam venturum, a quo ferale mortis decretum, protoparentibus factum, ſolvendum erat, redemtoque homini vita æterna reddenda. Quodſi vero Sadducæis

Christus dicere poterat, errare eos, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei: quid dicendum de Materialiſtis, qui hodie orbem replent post clariſſimam Evangelii lucem? qui perinde nec reſurrectionem, neque angelum aut ſpiritum esse dicunt, ſeſeque in tanta mentis hebetudine ac cæcitate cæteris mortalibus magis ſapere atque acutius cernere ſibi perſuadent, eoquod nil, niſi quod oculis hauriunt, et palpant manibus, credunt, *neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei*. Nihil nempe, quod ſupra captum ſuum est, in animum ſibi inducere ac credere iſti volunt, ſuis irretiti dubiis et ſuffocati.

Econtra qui ſunt docibiles Dei, didiceruntque ex apoſtolo, captivare intellectum in obſequium fidei firmiſſime perſuaſi de virtute Dei, hoc uno ſcuto tela ſatanæ omnia, qui protoparentes noſtros falsa ſcientiæ opinione deiecit, dispellunt; myſteriaque quæcumque nihil penitus hæſitantes indubitata fide credunt. Hi dum ſibi ipſis diffidunt (ſecus ac illi, qui *neſcientes ſcripturas*, varias illarum interpretationes ſibique contrarias in medium proferunt, ut identidem fecerunt faciuntque hæretici) magiſterio Eccleſiæ tuto se committunt carbonaria illa, ut dici ſolet, fidei ſimplicitate, neque vero id levi, ſed firmiſſima faciunt, ac

divina perſuaſione de virtute Dei, quam ut Chriſtus demonſtravit Sadducæis, quidam etiam, qui aderant ſcribarum, *dixerunt ei a): Magiſter, bene dixiſti. Et*, ut apud Matthæum ſupra v. 33. legitur, *audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius*, poſtquam ſcilicet attuliſſet evangeliſta argumentum Chriſti ex Dei verbis ad Moyſen: *Ego ſum Deus Abraham etc. Deus autem non eſt mortuorum, ſed viventium.*

Quod argumentum, dum non deſunt hodie, qui blaſphemant, ipſi non attendunt ad verba illa apud Lucam adiecta: *Omnes enim vivunt ei.* Quippe Deo quidem convenit, ex nihilo creare, neutiquam vero ea, quæ creavit, iterum, quaſi non bene facta, in nihilum redigere, præprimis utique animam, ad imaginem ſuam creatam, veluti halitum divinum. Hoc eſt, quod habet evangeliſta: *Omnes enim vivunt ei* (electi ad vitam æternam in eo, ſicut promiſit Abraham: *Ego ero merces tua magna nimis*). *Eruntque ſicut angeli Dei in cælis*, cum ſint eiusdem cum illis naturæ, ſpirituales immortalesque: Chriſtus porro perinde Sadducæis ac aliis Judæis ſibi fidem divinam miraculis aſſeruit, quin ulla de dictis ſuis relinqui poſſet dubietas. Ea vero, quæ modo de vivente adhuc Abraham etc. attu-

a) *Luc. XX.* 39.

CAPUT CXXII.

limus, iam præierat narratio de epulone et Lazaro, in qua toties Abraham adhuc vivus inducitur Luc. XVI. 23. ſeqq. Et Jo. VIII. 56. apertiſſimis prorſus his ad eandem rem verbis: *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gaviſus eſt.* Porro de vivente poſt mortem Abraham eſt invictum argumentum in allatis hoc capite verbis Exod. III. 6. Sadducæosque convincens, quippe qui theopneuſtiam Pentateuchi agnoſcebant: Si enim, quando dicebat Deus Moyſi: *Ego ſum Deus Abraham, et Deus Iſaac, et Deus Jacob*, hi non amplius vixiſſent, debuiſſet dici: Ego fui Deus Abraham etc. Quemadmodum de amico non amplius ſuperſtite in hac vita dicimus: Ego fui amicus τοῦ δεῖνα; non vero ego ſum eius amicus.

CAPUT CXXIII.

PRÆCEPTUM MAGNUM CHARITATIS DEI ET PROXIMI.

Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem ſimile est huic: Diliges proximum tuum, ſicut teipsum.* In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ. Matth. XXII. 36. etc.

Novi et Vet. Test. in quo universa lex pendet et prophetæ.

Additur apud Marcum, ſcribam dixisse a): *Bene magister in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine: et diligere proximum tanquam ſeipsum, maius est omnibus holocautomatibus et ſacrificiis. Jesus autem videns, quod ſapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei.* Recedens nimirum ab umbra veteris testamenti propinquat luci Evangelii præcepto charitatis, in quo quidem etiam lex pendet et prophetæ, neutiquam vero per *infirma et egena elementa*, ut vocat D. Paulus veteris testamenti lega-

a) *Luc. XII.* 32.

Caput CXXIII. lia in epiſtola ad Galatas *a*), in qua atque in epiſtola ad Romanos apoſtolus verſatur in hoc argumento, ut Judæis, ſe per Evangelium eſſe a ſervitute legis ſolutos, in libertatem filiorum Dei vindicatos, demonſtret per Chriſtum, quem *miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filii, miſit Deum ſpiritum filii ſui in corda veſtra clamantem: Abba, Pater b)!* Eſt hæc lex gratiæ Evangelii Chriſti *charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis.* Hæc autem „Charitas ex Deo eſt non per legis literam, ſed per ſpiritum gratiæ," ut loquitur S. Auguſtinus *c*), alibi etiam de ſanctis veteris teſtamenti, vel ante legem, vel tempore veteris teſtamenti nec virtute propria liberatis a peccatis, „nec veteri teſtamento *d*), quod in ſervitutem generat, quamvis certæ diſpenſationis gratia divinitus datum ſit: nec ipſa lege ſancta et iuſta, et bona, ubi ſcriptum eſt: *Non concupiſces;* quoniam non eſt data, qnæ poſſet vivificare, ſed prævaricationis gratia poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſſum eſt; ſed liberatos eſſe per ſanguinem ipſius redemtoris, qui eſt unus mediator Dei et hominum homo

a) *Gal. IV. 9.* *b*) *Ib. IV. 4.* *c*) *Lib. I. Op. imperf. contra Jul. c. 94.* *d*) *Contra duas epiſt. Pelag. lib. I. c. 7.*

Christus Jesus. ❦ Hic est igitur, quam tota lex respicit et prophetæ, unus mediator Dei et hominum, „donando charitatem, ut declinet homo a malo, et faciat bonum per Spiritum ſanctum *a*).“ „Hic etiam, ut de Spiritu S. qui per charitatem diffunditur in cordibus noſtris S. Cyrillus Hieros. loquitur *b*), in omnes iustos et prophetas venit: Enos dico, Enoch, Noe et reliquos, Abraham, Isaac, et Jacob.“ Et poſtea *c*): Memores esse vult eorum, quæ dixerat, „et diserte tenere, non alium in lege et prophetis, aliumque in Evangeliis et apoſtolis esse, ſed unum et eundem Spiritum ſanctum, qui in veteri et novo teſtamento divina elocutus eſt, eundemque Spiritum vim exeruisse *d*), atque in Patres per eundem gratiam pervenisse etc.“ Et S. Leo *e*): „Patriarchæ, inquit, et prophetæ, et ſacerdotes omnesque Sancti, qui prioribus fuere temporibus, eiusdem ſunt Spiritus ſancti ſanctificatione vegetati.“ Tum vero poſtquam exsplicasset datam Chriſto nascente gratiam: „Et hoc, pergit, magnæ pietatis ſacramentum, quo totus iam mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, ut non minus adepti ſint, qui in illud credidere promissum, quam qui ſuscepere donatum.“

CAPUT CXXIII.

a) *Idem lib. IV. contra Jul. c. 3.* *b*) *Catech. XVI. n. 27.* *c*) *Cat. XVII. n. 5.* *d*) *Num. 18.* *e*) *Serm. XXII.*

Caput CXXIII.

Quave delectamur in Deo beati.

Hæc igitur eſt lex illa charitatis diffuſæ in cordibus noſtris omnium ſublimiſſimum diviniſſimumque amoris divini erga nos argumentum, in qua univerſa lex pendet et prophetæ, eſtque ipſa lex gratiæ in ipſa delectatione cordis noſtri, id eſt, amore: „Trahitur, ait S. Auguſtinus *a*), animus et amore. Nec timere debemus, ne dicatur nobis, quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico: Parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate: *Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui.* Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis etc.“ Hæc eſt lex charitatis de qua idem de nat. et grat. c. 69. „Converſus ergo, inquit, quiſque, ſicut ibi præcipitur, ad Dominum Deum ſuum ex toto corde ſuo, et ex tota anima ſua, mandatum Dei non habet grave. Quomodo enim grave, cum ſit dilectionis mandatum? Aut enim quiſque non diligit, et ideo grave eſt: aut diligit, et grave eſſe non poteſt. Diligit autem, ſi, quod illic admonetur Iſrael, converſus fuerit ad Dominum Deum ſuum, ex toto corde ſuo, et ex tota anima ſua.“ Legitur Deuter. VI. 4. lex illa: *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota forti-*

a) *In Joan. XXII. n. 2.*

tudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo. Repetitur Deut. XI. 13. et Deut. XXX. 10. etc. non ſolum lex hæc, ſed etiam diviniſſima illa, ex amoris in delectatione cordis natura, legis ratio, Deo ſummo bono unice digna, qua nos ſuo in nos amore, et noſtra in eum dilectione beatos facit: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, ut poſſis dicere: Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris, et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos deferre: ut poſſimus audire, et facere, quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.* Quid propius nobis eſt corde noſtro, in medio noſtri? atque in ipſo medio cordis noſtri eſt amor noſter: Sic eſt, et debet eſſe perfectus in Deum ſecundum legem charitatis, ut pſalmiſta in ipſa perſona Chriſti dicit *a*): *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.*

Nec tantum in medio cordis debet eſſe charitas, ſed etiam diffuſa in corde, totum debet replere. Hoc eſt, quod idem pro-

a) *Pſalm. XXXIX. 8.*

Caput CXXIII. pheta Deum rogat *a*): *Da mihi intellectum, et ſcrutabor legem tuam, et cuſtodiam illam in toto corde meo.* Et initio ſtatim eiusdem psalmi prædicantur *b*): *Beati, qui ſcrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Hoc est, quod toties in Davide laudatur, quod in toto corde ſuo ſecutus ſit Dominum, homo ſecundum cor Dei, ut per Joelem monemur c): *Convertimini ad me de toto corde veſtro.* Est hoc præceptum charitatis: *Diliges Dominum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et tota mente tua*, ut idem psalmista canit *d*): *Benedic anima mea Domino: et omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.* Et *e*): *Diligam te Domine fortitudo mea.* Non aliter igitur Dominum Deum ex toto corde, et ex tota anima, quod ſumus nos, diligere iubemur, quam ex tota fortitudine, quia fortitudo nostra Dominus est, qui nos invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*, ut iam ſupra exposuimus, iugum leve et onus eius ſuave, quod charitas facit per dura et aspera, omnia officia erga Deum, nos ipsos, et proximum, quem diligere iubemur, ut nos ipsos.

Amando etiam proximum in Deo. Dicitur mandatum hoc dilectionis proximi ſingulari dignatione, et charitate Dei

a) *Ps. CXVIII.* 34. *b*) *Ib.* 2. *c*) *Joel. II.* 12.
d) *Ps. CII.* 1. *e*) *Ib. XVII.* 2.

in nos, ſimile mandato diligendi Deum, quia in hoc continetur. Dum enim iubemur Deum diligere ex toto corde, nihil residuum relinquitur, nisi ut proximum in Deo diligamus, ſicut etiam nosmetipsos, adeoque Deum ſupra nosmetipsos, nec aliter proximum ſicut nosmetipsos nisi in Deo, ſicut Joannes dicit: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Hincque patet, quomodo universa lex et prophetæ in duobus mandatis „mira quadam conspiratione, ut loquitur Jacobus Nisibenus Serm. II. de Dilectione *a*), pendent. Nam si tu, pergit, ipse ad examen venias duorum mandatorum, in quibus pendet omnis vis legis et prophetarum, cognosces, si hæc insita essent in cordibus et in mentibus hominum; nec lege, nec prophetis omnino indigerent, ſicut ſcriptum est, quod, *lex iusto non est posita, ſed iniustis:* et quidem pro iniquis et impiis posita est lex. Et si iustitia veritatis ſtetisset, et mansisset apud homines, non esset opus lege. E diverso nisi lex posita esset, virtus Dei non ostendisset in omnibus nationibus omnia mirabilia, quæ manifestavit.“ Et postea num. 7. p. XIII. „Verbum autem illud, quod dixit Dominus et Salvator noster, quoniam *in duobus mandatis pendent lex et prophetæ*, pulcrum, bonum,

CAPUT CXXIII.

a) *T. V. Bibl. PP.*

Caput CXXIII. congruum, et conveniens eſt, dicente ipſo Domino noſtro: *Apex unus a lege et prophetis non præteribit, donec omnia fiant.* Accepit ille legem, et prophetas, et concluſit, ac ſuſpendit eos in duobus mandatis, et nihil ex eis abrogavit. Nam ſi perpenderis bene verbum illud, in eo eſt vera obſervatio legis; et id omne, quod ſcriptum eſt in lege, ſub hoc verbo comprehenditur: *Diliges etc.*" Sic etiam S. Zeno ep. Veronenſis relatis iisdem Chriſti verbis: „Unde, inquit *a*), manifeſtum eſt, dilectionem omnium virtutum divinarum eſſe ſubſtantiam naturalemque magiſtram: quoniam ex lege diſcitur, ſed in mentibus naſcitur: lex enim pendet ex charitate, non charitas pendet ex lege, ſacra Scriptura dicente: *Juſto lex non eſt poſita, ſed peccatori.* Peccator autem ille eſt, qui charitatem non habet Dei, ac per hoc operanti iram recte ſubiacet legi."

Res tunc magis manifeſta fit, ſi ipſam legem charitatis, quam quivis intelligit Deo debitam auctori ſuo, ſub examen vocemus. *Qui habet mandata mea*, ut una ſententia totam novam legem Evangelii complectitur Chriſtus Jo. XIV. 21. *et ſervat ea: ille eſt, qui diligit me*; ad quod paulo ante v. 15. diſcipulos hortatus fuerat: *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Utramque ſententiam una complexus, dicit apoſtolus I. Cor. XVI. 14.

a) *Lib. I. Tract. II. n. 5. p. 24.*

Omnia veſtra in charitate fiant, vera nempe et ſincera ad quam S. Joannes nos hortatur: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere et veritate.* Hoc iam est ad trutinam vocandum. „Rogo te, responde, non mihi ſed Deo, utor verbis Pauli Orosii *a*), non voce, ſed conſcientia: si ita ex toto corde Deum diligis, ut nullam unquam in eo cogitationem, quæ absque timore et dilectione Dei intelligi poſſit, admittas: si ita in tota anima ſequeris, ut ſuſcepta ſemel cruce in nullam penitus oblectationem habitæ ad tempus iucunditatis ſuccedas: si ita in totis visceribus tuis calore charitatis ardes, ut ulla penitus per augmenta neceſſitatis infirma concupiſcentiis aut deſideriis acquieſcas." Apologiam is facit pro magiſtro ſuo S. Auguſtino, qui una ſententia de ordine utriusque præcepti charitatis omnia complectitur ſermone *de disciplina christiana b*) iuxta illud I. Jo. IV. 20. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem ſuum oderit, mendax est.* „Ecce quod discitur in domo disciplinæ: Diligere Deum, diligere proximum: Deum tanquam Deum, proximum tanquam te. Non enim invenis parem Deo, ut poſſit tibi dici: Dilige Deum, ſicut diligis illum. De proximo

Caput CXXIII.

a) *Apologia de arbitrii libertate n.* 31. *T. IX. Bibl. PP. p.* 168. *b*) *T. VI. p.* 583. *n.* 3.

Caput CXXIII. inventa est tibi regula, quia inventus es proximo tuo par tu ipse. Quæris quomodo diligas proximum? attende teipsum, et quomodo te diligis, ſic dilige proximum.“ Etsi vero in colliſione officiorum propriam nostram præferimus proximi ſaluti, nihilominus proximum amamus ſicut nos ipsos, dummodo non amamus nos ipsos in proximo: id est, ut quem amamus, eidem ipsi bonum velimus ex animo, alias nos ipsos non proximum diligimus. Tenebras offuciasque, quas hic amor proprius obiicit, admirabilem in modum dispellit præceptum amoris tam breve, tam ſublime, tam divinum: *Diliges proximum tuum ſicut teipsum;* Deum ergo plus quam teipsum, nonnisi in Deo teipsum, qui totus, non ſolum quod es, Dei es, ſed et quod ſuapte desideras, ſummo bono felix esse ac beatus, non nisi in ipso Deo obtines admirabili illo, de quo ſupra, ſummeque adorando, ac amando commercio generis humani cum divinitate, quo ipse Deus ſummum bonum beatos nos reddit ſine fine in cœlis: quorsum aspirando in terris, cum angustum ſit cor nostrum debilisque conatus mentis, vel hoc ipso incessanter nobis connitendum, contendendumque est progressu continuo ad maiorem profectum in ſummo bono prosequendo, Deo unice diligendo ſine ullo prorsus, dum in via hic ſumus, diverticulo, neque

ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinando, ſicut qui in ſtadio currunt, monente impellenteque nos apoſtolo I. Cor. IX. 24. *Sic currite, ut comprehendatis*, Deum nimirum ſummum bonum, in æterna felicitate beati: „Ut enim homo, ſunt verba S. Auguſtini *a*), ſeſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis, quo referret omnia, quæ ageret, ut beatus eſſet. Non enim qui ſe diligit aliud eſſe vult quam beatus. Hic autem finis eſt adhærere Deo. Jam igitur ſcienti diligere ſeipſum cum mandatur de proximo diligendo ſicut ſeipſum, quid aliud mandatur, niſi ut ei, quantum poteſt commendet diligendum Deum? Hic eſt Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita ſervitus.“ Caput CXXIII.

a) *Lib. X. de Civ. Dei c. 3.*

Caput CXXIV.

CAPUT CXXIV.

CHRISTUS CUJUS FILIUS.

Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? et nemo poterat ei reſpondere verbum:* neque auſus fuit quiſquam ex illa die amplius eum interrogare. Matth. XXII. 41. etc.

Juxta Pſalm. CIX.

Vidimus modo, ac plura adhuc apud evangeliſtam habentur exempla eorum, qui his poſtremis ante paſſionem ſuam diebus, quibus non ceſſavit quotidie e Bethania rediens mane docere in templo, eum acceſſerunt ſingillatim et coniunctim ex omni ſtatu ſacerdotum, principum, Phariſæorum, Herodianorum, Sadducæorum tentantes eum, ut caperent in ſermone, aut locum eum accuſandi inceſſendique vel laceſſendi invenirent; quos omnes cum ita dimiſiſſet, ut moderatiores mirarentur, ipſe benignis-

ſimus Jesus postremo illis quæstionem proponit, ex qua potuiſsent ad veritatis cognitionem pervenire: ad quam cum nemo posset ei respondere verbum, potius tamen ab eo interrogando desistunt, quam ut dociles ſese præberent veritati. Talis est autem Christi interrogatio, ut ſimul ex ipsis verbis, quæ proponit, debuiſsent agnoscere, quis esset, quem offenderent, eum crucifigendo, et quæ eos ultio de offensa maneret. Psalmi CIX. ipsis proponit exordium: *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* De Messia veteres Judæi hunc psalmum intelligebant, quidquid odio Christianorum teneant Rabbini posteriores. Nisi de Messia intellexiſsent illi, quos Christus interrogavit, facilis fuiſset responsio, nec dicerentur, non potuiſse ei respondere verbum. Certe eos invicte ſtringit, quod Davidis Dominus dicatur Messias, quod dici non posset, si filius tantum illius fuiſset ſecundum carnem, quod in humana quidem natura fuit Christus, atque in transversum egit Judæos, cum eum humili loco ſtatuque natum ac pauperem coram se cernerent, quem ipsi volebant in ſede David patris ſui collocatum dominatorem gentium, et hos inimicos ſuos ponentem ſcabellum pedum in præsenti vita, regno terrêno autem potitos ſese cum illo; cum ipsi potius

Caput CXXIV. essent primi ex illis, de quibus *dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum*. Sic etiam perverse et ſuperbe in ſuum favorem et ſplendorem regni ſui, quod ſibi imaginabantur, terreni accipiebant, quæ ſequuntur: *Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum.* Emisit revera virgam virtutis ſuæ Dominus ex Sion in Christo ex ſemine David ſecundum carnem oriundo; ſed mox altius assurgit propheta: *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: ex utero ante luciferum genui te.* An hoc David dicere potuisset, se Messiam ante luciferum genuisse? An non ſacerdotium Aaronicum destruit, quod de eodem Messia ſequitur: *Juravit Dominus, et non pænitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchisedech?* Quodque ſequitur, tot iam ſæculis per orbem, per quem hactenus extorres terra ſua ſine rege, ſine ſacerdotio vagantur Judæi, completum, destructis idolis ſervientium regnis, et regibus Christo ſubditis, coram cernimus; nempe Messiam Deum et hominem venerantes læti canimus nos: *Dominus a dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges. Judicabit in nationibus, implebit ruinas*, vestras nimirum o Judæi, ipsos vos in ruina positos! Ad hæc tunc Christus interrogatione ſua digitum

intendebat, ſed illi auſcultare nolebant, et mortem intentabant, ex qua reſurgens Chriſtus, *exaltavit caput* poſtquam *de torrente* passionis *in via bibit* ut SS. PP. interpretantur, *propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus eſt in gloria Dei Patris.* CAPUT CXXIV.

Animadvertimus iam Chriſtum hic non ſolum ſuam divinitatem Judæis demonſtrasse ex verbis: *Dixit Dominus* (Jehova) *Domino meo* (Adonai) ut habet textus originalis; verum etiam prænunciasse eis dirum, quod ipsos hodieque adhuc manet fatum, denunciatum eiusdem pſalmi ſequentibus verbis: *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum:* quod ſtatim experti ſunt, atque etiamnum experiuntur, qui per diffuſam in orbe Eccleſiam regnum Chriſti in terris undique diſperſi Judæi veluti ſcabellum pedum exiſtunt, omnium peripſema. Experti ſunt illi primi in excisione Hieroſolymæ et diſperſione gentis ſuæ, quod deinceps omnes inimici Chriſti Domini, qui ut dicit apoſtolus, *in æternum ſedet in dextera Dei, de cætero exſpectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius:* quem, ſcilicet Chriſtum Dominum, *virgam*, id eſt,

CAPUT CXXIV. regale ſceptrum virtutis, ſeu fortitudinis ſuæ iuxta Hebr. emiſſurum hic prædixit vates *ex Sion* ſeu Hieroſolyma, unde progreſſa, dilatata per orbem crevit Eccleſia militans regnum Chriſti in terris, ut dominaretur *in medio inimicorum ſuorum*, ringentibus infernalibus, et adverſantibus quibusvis ſæculi poteſtatibus. Populus vero ei promittitur electus, quem apoſtoli et eorum poſt ſe vicarii Eccleſiæ Chriſti aggregaverint usque *in diem virtutis ſuæ* in conſummatione ſæculi, quando in *ſplendoribus ſanctorum*, qui cum eo usque hactenus regnarunt, ac regnant etiamnum in terris, ſe exhibebit in gloria maieſtatis ſuæ æternum Patris Verbum *ante luciferum* omnis creaturæ principium, quando iam erat ante omnia tempora, in principio *ex utero* æterni Patris genitus, ſplendor deitatis ac lux de luce naturalis Dei Filius. Cui induto carne humana *iuravit Dominus* Jehova Pater ſuus cœleſtis ſacerdotium æternum iuxta ordinem Melchiſedech. Nam a) *nec quisquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit* b)*: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Unde deinceps apoſtolus toto

a) *Hebr. V.* 4. b) *Pſalm. II.* 7.

capite VII. præcellentiam ſacerdotii Chriſti in novo teſtamento ſecundum ordinem Melchiſedech extollit, ſic id ipſum caput auſpicatus: *Melchiſedech rex Salem, ſacerdos Dei ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo a cæde regum, et benedixit ei etc.* Et poſtea *a*): *Qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim: Quoniam tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum eſt non ſine iuramento (alii quidem ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt; hic autem cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum: Juravit Dominus* (Jehova) *et non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum etc.*) Hic igitur Dominus Adonai potentia dexteræ ſuæ *confregit in die iræ ſuæ reges*, regali ſacerdotio ſuo, regno Chriſti in terris adverſantes. *Lapis* nimirum *abſciſſus de monte ſine manibus, qui percuſſit ſtatuam,* qua regna mundi Nabuchodonoſori in ſomnio fuerunt præſentata, *in pedibus eius ferreis, et fictilibus, et comminuit eos .... Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, et implevit univerſam terram b*). *Judicabit in nationibus* per orbem, conſtituto in Eccleſia ſua regno, *implebit ruinas* idolo-

a) *Hebr. VII.* 16. *etc.* *b*) *Dan. II.*

CAPUT CXXV.

latriæ perinde, ac ſynagogæ *conquaſſabit capita in terra multorum.* Sicut enim *confregit in die iræ ſuæ reges* tyrannos Neronem, Domitianum etc. Eccleſiam ſuam perſequentes, ita deinceps quicumque hostes eiusdem regni ſui ſubibunt eandem ruinam, consummabuntque. Eiusdem argumenti est psalmus II. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati ſunt inania.*

CAPUT CXXV.

VIDUÆ PAUPERIS OBLATIO.

Convocans discipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc autem de penuria ſua omnia, quæ habuit, misit, totum victum ſuum. Marc. XII. 43. 44.

A Christo præ ditioribus extollitur.

Sedens Jesus contra gazophylacium in templo, aspiciebat, quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, et multi divites iactabant multa. Alius hæc ſpectans attentionem ſuam convertisset utique ad eos potissimum, qui plurimum pecuniæ misissent in gazophylacium, ad viduam autem hanc unam pauperem,

quæ non niſi *duo minuta miſit*, *quod eſt quadrans*, non facile advertiſſet animum: dum ecce! quod facit vidua hæc, unice animadverſione dignum exiſtimat Jesus; ita quidem, ut diſcipulos tanquam ad ſpectaculum convocandos duceret, tantumque rei momentum illis (uſus etiam ſolita ſua aſſeverandi formula: *Amen dico vobis etc.*) ob oculos poneret, deprædicandum ex merito. Eſt revera hæc divina ab eo edicta ſententia, de quo (Meſſia nimirum) Is. XLII. 3. inter alia legitur: *In veritate educet iudicium*, non ad exteriorem ſcilicet rei apparentiam, ſecundum quam divites illi utique multo amplius contulerant in gazophylacium *ex abundantia ſua*, quam pauper illa vidua; quæ vero Chriſti iudicio plus omnibus, nempe *de penuria ſua omnia, quæ habuit miſit*, *totum victum ſuum.* Sic ad iuſtam omnia revocantur æqualitatem, quantacumque demum ſit conditionum, facultatum, fortunarumque humanarum inæqualitas, ut nec dives aut potens habeat, unde extollatur, nec pauper, quo deiiciatur, ſed potius gaudeat de beatiore ſorte ſua exemplo viduæ evangelicæ, Chriſti ſententia divitibus antelatæ, divino iudicio, plane diverſo a vulgari hominum, apud quos in pretio eſt rerum ad faſtum abundantia, et apparatus, quo quia caruit, reiectus eſt a Judæis Chriſtus, nec auditi eius apoſtoli pauperes piſ-

catores: ex quibus Christi doctrinam exprimens, S. Jacobus apostolus: *Glorietur autem*, ait a), *frater humilis in exaltatione ſua; dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni transibit:* nec in omni abundantia ſua pauperi æquiparandus venit, qui de penuria ſua ſibi in Christo thesaurizat. *Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum* b), iuxta apostolum; qui Deo pro Corinthiis gratias agit, *quod*, ut ait c), *in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni ſcientia: ſicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.*

Est hoc esse in Deum divitem iuxta Christi effatum Luc. XII. 21. ubi redarguitur: *Qui ſibi thesaurizat, et non est in Deum dives;* ſecus ac vidua illa, quæ de penuria ſua omnia, quæ habuit, misit in gazophylacium. Diviti illi, qui se omnia præcepta legis ſervasse professus erat Matth. XIX. 21. Christus ſuadet: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, ſequere me.* Sic pauperes etiam piscatores, divites facti ſunt apostoli, dum omnia reliquerunt, Christum ſecuti ſuos monentem:

a) *Jac. I. 9. etc.* b) *Rom. X. 12.*
c) *I. Cor. I. 5.*

Vendite, quæ poſſidetis, et date eleemoſinam. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis a). Neque vero hic quisquam de paupertate ſeu penuria ſua queri poteſt, dum eiusdem benignisſimi Salvatoris noſtri effato, *quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Huiusmodi, quæ parva videntur, ac modica, Chriſtus quoque commemorat, ubi de die illo agit, quando congregabuntur ante eum omnes gentes, reddetque unicuique iuxta opera ſua: *Tunc dicet rex his*, qui a dextris eius ſunt: *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi: Eſurivi enim, et dediſtis mihi manducare: Sitivi, et dediſtis mihi bibere etc.*

Caput CXXV.

a) *Luc. XII.* 33.

Caput CXXVI.

CAPUT CXXVI.

PRÆDICTUM EXCIDIUM TEMPLI HIEROSOLYMITANI, URBIS, ET ORBIS.

Quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus, et donis ornatum esset, dixit: Hæc, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non destruatur. Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, et quod ſignum cum fieri incipient? Qui dixit: *Videte, ne ſeducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego ſum: et tempus appropinquavit: nolite ergo ire post eos etc.* Luc. XXI. 5. etc.

Signa utriusque excidii.

Josephus lib. VI. de bello Judaico c. 5. de ſignis excidium urbis præcedentibus tractans, pseudoprophetas a tyrannis, quos optimates Judæorum vocat, ſubornatos perhibet, atque „vaticinium ambiguum, ut loquitur, in ſacris libris repertum, illis circiter temporibus quendam ex ipsorum finibus profectum orbis terrarum imperio potiturum" ad Vespasianum refert. Quod commemorans Eusebius lib. III. hist. eccl. c. 8. „Verum, respondet, Vespasianus non totius orbis terrarum, ſed Romanum

duntaxat imperium obtinuit. Rectius ergo id referatur ad Christum;" qui de hac re locutus, nostri etiam, ut postea videbimus, cauſa noluit dedocere apostolos, confundentes utrumque excidium urbis et orbis ſeu consummationis ſeculi; cuius illa figura erat, atque adeo multa debebant esse ambobus communia, ut tamen utrique etiam essent ſua phenomena ſingularia. Cum Christus prædixerit apud Lucam non fore relinquendum lapidem ſuper lapidem, de templo ſermone ab apostolis iniecto, respondit *a*): *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc ſcitote, quia appropinquavit desolatio eius* etc. usque ad vers. 25. *Et erunt ſigna in ſole et luna etc.* quæ ad ſecundum adventum pertinent, prout adhuc apertius habetur Matth. 24. etc. et Marci XIII. 24. etc. *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen ſuum, et ſtellæ cadent de cælo: et virtutes cælorum commovebuntur. Et tunc apparebit ſignum Filii hominis in cælo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa et maiestate etc.* quemadmodum Christus alibi adventum ſuum ſecundum descripsit. De utraque autem desolatione apostolos et nos ſimul circumspectos reddit, ne ſimus incurii aut nimis creduli in iis, quæ utrique desolationi erunt communia *b*): *Cum autem*

a) *Luc. XXI.* 20. *b*) *Ib. XXI.* 9.

CAPUT CXXVI.

audieritis prælia et ſeditiones nolite terreri. Oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Mox ſubdit evangeliſta, veluti rem novam orſus: *Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, et regnum adverſus regnum: et terræmotus magni erunt per loca, et peſtilentiæ, et fames: terroreſque de cælo et ſigna magna erunt. Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus ſuas, et perſequentur, tradentes in ſynagogas et cuſtodias, trahentes ad reges et præſides propter nomen meum.* Pertinent hæc poſteriora ad intervallum illud quadraginta annorum ante excidium urbis, quo ſpacio omnes apoſtoli hæc, quæ illis Chriſtus prædixit mala ſuſtinuerunt plerique omnes violenta defuncti morte, ſolo S. Joanne ſuperſtite ac ſupervivente ruinam et deſolationem Judaicam. Unde priora ita ad conſummationem ſæculi ſunt referenda, ut tamen eam proxime non contingant, ut aperte locus, quem præmittimus, Lucæ cavet ab iis, qui dicunt: *Quia ego ſum, et tempus appropinquavit*, innuuntque Matthæus eique concors Marcus antichriſtos etiam illos præter ultimum illum alios deſignantes, quos non unum numerat gens Judaica a): *Videte ne quis vos ſeducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, et multos ſeducent. Audituri enim eſtis prælia, et opiniones præliorum. Videte ne turbemini. Oportet primum hæc*

a) *Matth. XXIV. 4.*

fieri, ſed nondum ſtatim finis. Conſurget enim gens contra gentem, et regnum adverſus regnum, et erunt peſtilentiæ, et fames, et terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum. Caput CXXVI.

Multa adhuc ſequuntur, habenturque etiam apud Matthæum et Marcum eadem haud raro iisdem fere expreſſa verbis vel ſententia de excidio urbis et orbis, ſeu conſummatione ſæculi, ut diſtinctius apud Matthæum interrogatio diſcipulorum inſtituitur *a*): *Dic nobis, quando hæc erunt? et quod ſignum adventus tui, et conſummationis ſæculi?* Obſervandum vero, quæſtionem hanc eſſe factam, quando Chriſtus poſtremum e templo fuit egreſſus ipſaque urbe poſt triumphalem ſuum in eandem ingreſſum, ad conſtituendum ſibi regnum Eccleſiam per orbem, reiecta templi religione, repudiata ſynagoga, ſacrisque Judaicis, ut Chriſtus mulieri Samaritanæ prædixerat Jo. IV. 21. *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem.*

Finis Synagogæ, et Eccleſiæ militantis in conſummatione ſæculi.

Apoſtoli quæſtionem ſuam inſtituentes, necdum ſciebant, Chriſtum brevi rediturum ad Patrem cœleſtem, aſcenſurum in cœlum, indeque poſt tempora venturum

a) *Matth. XXIV. 3.*

CAPUT CXXVI. ad iudicium: de regno Iſrael tunc per Chriſtum Meſsiam, pulſis Romanis, reſtituendo unice mentibus obverſabatur cogitatio, cui ideo deſtructio urbis non congruebat, nec fatum gentis Judaicæ, quod hodieque ſubit, nobisque ſermonem de excidio urbis et orbis tam clarum et perſpicuum reddit, quin confundatur uterque hic eventus, totum illud, ac integratam prophetiam, abominationem ſcilicet deſolationis ob oculos ponendo, prout a Daniele propheta adumbrata fuerat, ad eamque Chriſtus provocat Matth. XXIV. 15. *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta etc.* Notandum vero, ante hæc verba immediate præmitti ea, quæ ad conſummationem ſæculi pertinent: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: et tunc veniet conſummatio.* Ac revera deſolatio illa perſeverat, continuoque oculis noſtris obverſatur in Judæis per orbem errantibus: ſuntque ſigna, quæ iugiter nos terrent terræmotus, bella, fames etc. Simul igitur dum Chriſtus directe ad interrogationem diſcipulorum de excidio templi reſpondet, futuris nobis cunctis etiam conſummationem ſæculi, ac iudicium extremum ob oculos ponit.

Apud Lucam ſic inſtituta legitur quæſtio, ut perinde ac apud Marcum ſolum everſionem Hieroſolymitanam reipublicæque Judaicæ attinere videatur. Quia nimirum diſcipuli impatientes regni Chriſti in terris inſtaurandi, omnia ſimul fieri ac conſummari exiſtimabant, confundentes conſummationem ſæculi, ſeu deſolationem generis humani, et gentis Judaicæ. Chriſtus autem Sapientia divina providentiſſimam reſponſionem de utraque conſummatione ita temperat, ut incertos nos, paratos ſemper, et vigiles detineat ad inexſpectatum rerum eventum, adventumque ſuum ad iudicium, et iudicandum ſive perfidos Judæos in excidio urbis everſione reipublicæ et diſperſione gentis, ſive univerſum genus humanum in conſummatione ſæculi.

Exinde patet intellectus verborum, quæ Chriſtus de Joanne apoſtolo dixit, ipſo referente Jo. XXI. *Sic eum volo manere, donec veniam quid ad te?* quo vivente nimirum adhuc excidium Hieroſolymitanum accidit. Atque S. Jo. Chryſoſtomus hinc cauſam prodit *a)*, cur unus evangeliſta Joannes hæc ſilentio præterierit, „nihilque horum ſcripſerit, ne videretur ex eventu ipſo hæc ſcripſiſſe: nam ad multum ab excidio Jeroſolymitano

a) Hom. LXXVI. in Matth. n. 1. T: VII. p. 734.

CAPUT CXXVI. tempus vitam produxit. Sed ii, qui ante illud excidium mortui, nihil horum viderant, hæc deſcribunt, ut prædictionis vis undique fulgeat." S. Pater ea, quæ pertinent ad alterutrum, ſic diſtinguit, ut ad eversionem urbis, et reipublicæ Hierosolymitanæ omnia referat usque ad verba illa: *Ubicunque enim corpus fuerit, ibi congregabuntur et aquilæ.* Quam in ſententiam iam ſupra explicavimus hunc locum ſensu literali de aquila Romana, addita tamen ſimul etiam interpretatione mystica SS. Patrum ad ſecundum adventum accommodata. Nec conveniunt illi, ac alii etiam interpretes in iis, quæ ad alterutrum ſint referenda extremum fatum gentis Judaicæ in excidio urbis, vel universæ carnis in excidio orbis, ita ut haud raro unam eandemque rem utrique accommodent; prout nempe interitus urbis et reipublicæ Judaicæ figura ac triste præludium quoddam fuit finis universæ carnis, analogia quadam ſynagogæ et Ecclesiæ, ita ut eodem tempore, quo ſynagoga urbis excidio civiumque internecione interiit, Ecclesia gentium ſanguine apostolorum, aliorumque martyrum excreverit; novissimis autem temporibus maximis periculis graviumque ſcriptorum ſententia iisdem, quibus ſynagoga olim, erit exposita, ut ſi fieri posset in errorem abducerentur etiam electi. Quæ vero in Judæis ſunt ad-

umbrata, atque divina benignitate prænunciata, tanto cautiores reddere nos debent proſpectioresque, quo magis ſeneſcit, atque adeo ad finem properat orbis.

Caput CXXVII.

CAPUT CXXVII.

EXCIDIUM URBIS ET ORBIS: GENTIS JUDAICÆ, ECCLESIÆ GENTIUM, ET GENERIS HUMANI FATA.

Erit preſſura magna ſuper terram, et ira populo huic. Et cadent in ore gladii: et captivi ducentur in omnes gentes, *et Jeruſalem calcabitur a gentibus: donec impleantur tempora nationum. Et erunt ſigna in ſole, et luna, et ſtellis, et in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris et fluctuum:* areſcentibus hominibus præ timore, et exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi, nam virtutes cœlorum commovebuntur: et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, et maieſtate. Luc. XXI. 23. etc.

Alia fata fuerunt, quæ Judæi experti ſunt in excidio urbis interituque reipublicæ ſuæ, alia ſunt, quæ in diſperſione gentis etiamnum ſubeunt, uti hic prædicuntur captivi ducendi in omnes gentes, et Jeruſalem cal-

Judæi ante conſummationem ſæculi convertendi ad Chriſtum.

Caput CXXVII. candam a gentibus: *donec impleantur tempora nationum. Tempora nationum* Venerab. Bedæ illa ſunt *a*), quæ commemorat apoſtolus dicens: *Quia cæcitas ex parte facta eſt in Iſrael, donec plenitudo gentium introierit, et ſic omnis Iſrael ſalvus fieret.* Luculenta ſunt prophetarum oracula de Chriſto regnaturo in domo Jacob ſuper ſolium David, quæ, cum ſynagoga Chriſtum reiecerit crucifixum, necdum omnino impleta videntur, ac ſperare licet ut, ſuperſtite adhuc ubique terrarum natione Judaica, ceſſante tandem aliquando furore Domini impleantur (ut iam S. Auguſtinus teſtatur lib. XX. de civ. Dei c. 23. eſſe hanc communem fidelium perſuaſionem, cui haud refragatur, eſtque magis concors antiquiſſimorum tam chiliaſtarum, quam aliorum SS. Patrum Græcorum et Latinorum ſententia) in fine temporum futuram converſionem populi Judaici. Nec iuxta catholicum interpretandi ſcripturam ex traditione Patrum canonem concluditur, prophetarum ad rem dicta de ſolis Judaicæ gentis fatis ante Chriſtum intelligenda eſſe, quatenus omnia in veteri teſtamento in figuris contingebant: E. g. ad rem præſentem reſtauratio templi tempore Zorobabelis, emundatio ſacrorum pollutorum tempore Machabæorum etc. Rem

a) *Lib. VI. c. 22. in Lucam T. V. p.* 418.

prodit prophetia Ezechielis de Gog *a*), quem Dominus ſuper Israel adducturus ſit, quem Joannes Apoc. XX. 7. post regnum demum Christi millenarium in terris iterum deiiciendum denunciat: *In novissimis diebus eris, et adducam te ſuper terram meam: ut ſciant gentes me, cum ſanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog etc.* Hæc v. 16. capitis trigesimi octavi Ezech. in quo debellatio Gog describitur, iterumque capite ſequenti vindicta divina in illum, demum reductio gentis Judaicæ ac ſanctificatio in terra, *a die illa et deinceps.* Sic etiam intelligi possunt prophetiæ Jerem. XXIII. 20. *Non revertetur furor Domini, usque dum faciat, et usque dum compleat cogitationem cordis ſui: in novissimis diebus intelligetis consilium eius.* Quæ verba iterum cap. XXX. 24. repetuntur. Oseæ III. 4.: *Multos dies ſedebunt filii Israel ſine rege, et ſine principe, et ſine ſacrificio, et ſine altari, et ſine Ephod, et ſine Teraphim. Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum ſuum, et David regem ſuum: et pavebunt ad Dominum, et ad bonum eius in novissimo dierum.* Michææ IV. 1.: *Et erit: In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium etc.* Concordat ultimus prophetarum Malachias ultimis etiam prophetiæ ſuæ verbis cap. IV. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam ante-*

a) *Ezech. XXXVIII. et XXXIX.*

quam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.

Videtur vero de futura Judæorum converſione hæc prophetia interpretationem habere ex ore ipſo Christi Domini Matth. XVII. 11.: *Elias quidem venturus eſt, et reſtituet omnia*, convertendo nimirum *cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum:* quando ceſſaverit preſſura et *ira populo huic*, atque impleta fuerint *tempora nationum.* Quod, non deſunt, qui ita intelligant, ut tunc gentiles ſeu fideles ex gentilibus ita reiiciendos exiſtiment ante adventum Chriſti ſecundum, ſicut ante primum Judæi fuerunt reiecti: Veluti nos apoſtolus terret Rom. XI. 22.: *Vide ergo bonitatem, et ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin et tu excideris . . . Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc: (ut non ſitis vobismetipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, et ſic omnis Iſrael ſalvus fieret.* Hæc ſi iuxta mox dicta accipienda ſint, ſingulari zelo ac contentione converſæ ad Chriſtum gentis Judaicæ, cum apud nos refrixerit cum charitate fides defeceritque, eflloreſcet Eccleſia Chriſti, et quidem

in domo Jacob, terraque promiſſa: nec deſunt, qui urbem Hieroſolymam reſtaurandam, et tantum non regnum millenarium inſtituendum tunc in Eccleſia ex gente Judaica reſtituta exiſtiment, ſedemque Petri, ubi primum fuerat, Hieroſolymas ſcilicet transferendam, ſi Romæ aut tutum aut omnino locum non amplius habuerit, ultimata eius ruina ſecundum prophetiam, quæ lib. II. Dial. S. Gregorii c. 14. legitur, Romam a gentibus non fore exterminandam, ut certe Babylon hæc apocalyptica Roma non ſolum ex ruina (de qua memorata prophetia intelligenda videtur) quam tempore S. Gregorii iam perpeſſa dudum fuerat, ſurrexit, ſed etiam hactenus in ea fixum fuit ſolium regni Chriſti in terris, quæ eſt reſurrectio prima Apoc. XX. donec Gog, Scytharum, quales ſunt Turcæ, progenies, idem quod Roma gentilis, fatum tulerit Ezech. XXXVIII. et XXXIX. domusque Jacob reſtituta fuerit, ut omnis Iſrael ſalvus fieret, iterum inſertus *ſecundum naturam olivæ ſuæ*, iuxta Chriſti Luc. XXI. 24. effatum: utrumque vero locum Ven. Beda ſupra iam citatus coniungens, de populo Judaico ſermonem proſecutus: „Qui, inquit, cum promiſſa ſalute fuerit potitus, patrium quoque rediturus ad ſolum et metropolis quondam ſuæ poſſeſſione, atque inhabitatione gaviſurus eſſe forſitan

Caput CXXVII.

Caput CXXVII. non temere ſperatur, quia non in perpetuum, ſed donec tempora nationum impleantur, ira premendus esse narratur. Quid autem impletis nationum temporibus, et ſic omni Israel ſalvato ſequatur, Dominus ex ordine manifestat. Nam et hoc ſecundum Matthæum discipuli interrogabant, non ſolum templi evertendi tempus, ſed et ſignum adventus eius, et consummationis ſæculi quærendo: *Et erunt ſigna in ſole et luna etc.*" Apertius loquitur Matth. XXIV. 29. etc. Christus, et iisdem fere verbis apud Marcum et Lucam; apud Joannem vero in Apocalypsi historia quædam prophetica Ecclesiæ texitur usque ad consummationem ſæculi: eaque veluti libro aperto ſeptemque ſigillis ſolutis Joannes evolvit, quæ paucis in Evangelio Christus discipulis exponit de periculosissimis illis ac horribilibus postremis temporibus *a*): *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuiſsent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere.* Quæ in verba S. Jo. Chrysostomus: „Illos, inquit *b*), a loco cautiores reddit, ſecundi ſui adventus notas proprias recensens, nec

a) *Matth. XXIV. 21. etc.* *b*) *Hom. XXXVII. in Matth. n. 2. T. VII. p. 734. etc.*

non ſeductorum oſtenta. Non enim ut in primo ſuo adventu in Bethlehem apparuerat, et in parvo orbis angulo, nec ullo hominum id a principio ſciente, ita et tunc inquit: ſed aperte et cum ſplendore, ita ut res nuntio non egeat. Neque parvum illud ſignum eſt; ipſum non latenter venturum eſſe. Animadverte porro, hic nihil narrari de bello, narrationem enim de adventu ſuo probe ab illa diſtinguit, ſed agit hic de iis, qui ſeducere tentabunt. Nam qui tempore apoſtolorum fuere deceptores, multos ſeduxerunt. *Venient enim*, inquit, *et ſeducent multos.* Qui vero ante ſecundum illius adventum, illis deteriores erunt: *Dabunt enim*, inquit, *ſigna et prodigia, ita ut, ſi fieri poſſit, etiam electos ſeducant.* Hic porro de antichriſto loquitur, deque quibusdam eius miniſtris: de quo ſic Paulus loquitur; cum enim vocaſſet illum hominem peccati, et filium perditionis, intulit: *Cuius adventus eſt ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute et ſignis, et prodigiis mendacii, in omni deceptione iniuſtitiæ, in iis, qui pereunt.*" Quod idem apoſtolus prius dixerat I. Theſ. V. 3. *cum enim dixerint pax, et ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus,* id Tertullianus *de Reſurrect. carnis a)*, S. Joan. Chryſoſtomus Hom. LXXVII. in Matth. *b)*, et in celebri ad Heſychium

Caput CXXVII.

a) Cap. 24. p. 339. *b) T. VII. p. 742. n. 2. etc.*

Caput CXXVIII. epiſtola S. Auguſtinus, (qui alibi *a*) proprius determinavit hunc filium perditionis) præcipuum huius adventus ſecundi ſignum ſtatuunt: quod de regno antichriſti eiusque ſocietate impia intelligendum est, Eccleſiam Dei ita premente, ut vehementer ſuspirent electi, deſiderentque advenientem iudicem, prout ſuos vult Christus reſpicere et levare capita, *quoniam*, inquit, *appropinquavit redemtio veſtra.* Id quod iam amplius explicatum imus.

CAPUT CXXVIII.

DIES JUDICII ELECTORUM EXSPECTATIO JUDÆORUM ET GENTIUM.

His autem fieri incipientibus, reſpicite, et levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemtio veſtra. Et dixit illis hanc ſimilitudinem: *Videte ficulneam, et omnes arbores: cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis, quoniam prope est æſtas.* Ita et vos cum videritis hæc fieri, ſcitote, quoniam prope est regnum Dei. Luc. XXI. 28. etc.

Eius propinquantis ſigna. Christus Matth. XXIV. 32. et Marc. XIII. 28. monet apostolos, ab arbore fici diſcere parabolam, quæ nempe loco are-

a) *Lib. XX. de Civit. Dei c.* 19.

factæ ſynagogæ reiectæ plantata eſt a Chriſto Eccleſia tempore exciſæ urbis et templi iam Romæ SS. Petri et Pauli ſanguine fœcundata, iamque miſſis per univerſum orbem apoſtolis producere cœpit fructum. Uti vero exciſio urbis Hieroſolymitanæ typus fuit conſummationis ſæculi, reſpicere hic ut illic, et levare iubentur electi capita, cum in illa magna tribulatione *iam ramus eius tener fuerit et folia nata* pro militantis Eccleſiæ conditione, ut tribulationibus creſcat et matureſcat, in ſignum, *quia prope eſt æſtas* plenitudo temporis ad vitam æternam in cœlis, quæ cuique electorum in morte, omnium vero in conſummatione ſæculi eſt ſecura redemtionis ſpes. In parabola hac de arbore fici exponenda parci ſunt SS. Patres, et in diverſa abeunt. „Ramus huius ficus, S. Hilario in h. l. *a*), antichriſtus eſſe intelligitur, diaboli filius, peccati portio, legis aſſertor.“ Averſionis cauſam inde e paradyſo repetit, quod huius arboris foliis Adamum legamus induiſſe ſe, et pudorem conſcientiæ texiſſe, „id eſt tanquam peccati veſte ſub lege circumdatum.“ S. Ambroſium quidem iam ſupra audivimus parabolam hanc coniungere alteri de fici arbore, qua ſynagoga carens fructibus excidenda proponitur, illi item ficulneæ, quæ maledicta a Chriſto exaruit; ut tamen

Caput CXXVIII.

a) *Comment. in Matth. c.* 26. *n.* 2. *p.* 732.

Caput CXXVIII. hanc, quæ modo præ oculis eſt, pro bono omine habeat reflorituram, ut modo diximus, aliquando ante finem ſæculorum arefactam ficulneam Judaicam, ut paſſim creditur, eſtque etiam S. Ambroſius eius ſententiæ. „Alibi, inquit *a*), ex teneritudine arboris huius, et foliis commemorat conjici ſolere æſtatis adventum, utroque ſignificans, et Judaicæ plebis inanem, quam prætendebat gloriam, velut florem in adventu Domini decidiſſe; quia operibus infructuoſa durabat: et iudicii diem velut æſtatis adventum, quo adulti fructus terrarum omnium reconduntur, ex plenitudine Eccleſiæ, in quam Judæi quoque credituri ſunt, metiendum. Hic ergo altioris ſenſus aliquod etiam quæramus arcanum.“ Quod deinceps pluribus explicat. S. Hieronymus preſſius, ut ſolet, literæ inhærens in cap. XXIV. Matth. „Quomodo, inquit *b*), quum et gemma erumpit in florem, cortexque folia parturit, intelligitis æſtatis adventum, et favonii ac veris introitum, ita cum omnia hæc, quæ ſcripta ſunt, videritis, nolite putare iam adeſſe conſummationem mundi, ſed quaſi procemia et præcurſores quoſdam venire, ut oſtendant, quod prope ſit et in ianuis;“ ut nempe nos ſemper ſuſpenſos et incertos huius diei

a) *Expos. Evang. ſec. Luc. Lib. VII. n.* 160. *p.* 1448. *etc.*
b) *T. IV. p.* 117.

reddat; quo etiam faciunt, quæ mox ſequuntur: *non præteribit generatio hæc*, quæ de excidio urbis et orbis intelligi poſſunt. Quippe a tempore, quo Chriſtus hæc locutus eſt, non præteriit generatio, qualem fert communis ætas hominis, usque ad everſionem urbis Hieroſolymitanæ. Si vero *generatio hæc* accipitur pro genere humano, pertinet ad conſummationem ſæculi, ſeu generis humani. Finem autem, cur ſic ambigue locutus ſit Chriſtus, mox indicat, dum diem illum ſoli Deo cognitum manere vult; nos vero toto ſermone hoc de excidio urbis et orbis, ſuſpenſos, ſeu ut S. Hilarius loquitur ſuſpectos de illo eſſe voluit, perinde ac de articulo ſeu momento mortis.

Faciunt huc verba *a*): *His autem fieri incipientibus, reſpicite, et levate capita veſtra etc.* prolata a Chriſto, postquam ſigna utriusque excidii urbis et orbis indicaſſet, ſed indefinite. Sunt ex his ſignis non pauca, quæ nullo non tempore ſe produnt a primo veluti usque ad ſecundum Chriſti adventum futurum, bella, terræmotus, perſecutiones etiam Eccleſiæ internæ et externæ, aliaque mala, quibus preſſi fideles identidem moneantur reſpicere et levare capita, ſuſpirareque in ſpe, *quoniam appropinquat*

a) *Luc. XXI.* 28.

CAPUT CXXVIII. *redemtio veſtra.* Pertinent hæc ad ea tempora noviſſima, quando inſtabunt *ſigna in ſole, et luna, et ſtellis, et in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, et fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, et exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi a).* Solabuntur autem ſe tunc electi, ut alias ſemper in malis huius vitæ, ſpe redemtionis noſtræ. De his D. Paulus Rom. VIII. 23. *Sed et nos*, inquit, *ipſi primitias ſpiritus habentes, et ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemtionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus.* Sic igitur incertis nobis de noviſſimis noſtris, ac ſpem inter et metum verſantibus continuo in memoriam revocatur illud Eccli. VII. 40. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, et in æternum non peccabis.*

Diligenter vero hic diſcrimen malorum et bonorum, reproborum et electorum obſervandum eſt. Reprobis nempe de noviſſimis ſuis incuriis et inadvertentibus *cum dixerint pax et ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus*, inopinatus dies Domini horribilis; electi vero iugiter noviſſimorum memores, ac continuo iuxta Chriſti præceptum vigilantes, quia neſciunt, qua hora Dominus venturus ſit, reſpiciunt confidenter, et levant capita ſua in cœlum,

a) *Luc. XXI. 25.*

appropinquantem redemtionem ſuam ſuſpirantes inter mala ac preſſuras huius ſæculi. Quod fuit ſemper Chriſti fidelium, eſt, eritque cumprimis in maximis noviſſimorum temporum tribulationibus ſolatium, ac ſpes ex adventu Domini, quem hora quidem, qua neſciunt, ſemper ceu inſtantem præſtolantur ſecundum verbum Domini.

Modo meminimus per arborem fici infructiferam Luc. XIII. 6. populum Judaicum deſignari, perinde ac per arborem fici arefactam apud Matthæum et Marcum ut diximus: Judæos item aliquando ad Chriſtum eſſe convertendos in noviſſimis temporibus prout explicavimus modo myſterium illud Rom. XI. 25. *Quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, et ſic omnis Iſrael ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me teſtamentum: cum abſtulero peccata eorum.* Et ut mox antea dixerat: *Sed et illi, ſi non permanſerint in incredulitate inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere eos. Nam ſi tu ex naturali excisus es oleaſtro, et contra naturam inſertus es in bonam olivam: quanto magis ii, qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ olivæ?* Sic igitur refloreſceret arbor illa fici, de qua nos Chriſtus apud Matthæum et Marcum

CAPUT CXXVIII. vult accipere parabolam: *Cum iam ramus eius tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoſcitis, quia in proximo ſit æſtas.* Nec refert, quod arbori maledictæ dicatur: *Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Hoc enim de Judaismo accipiendum est atque antiquata veteri lege, reiectisque Judæis. *Sed illorum delicto, ſalus est gentibus*, iuxta apostolum *a*), cuius verba mox ſequentia confirmant modo de eorum conversione dicta *b*): *Quod si delictum illorum divitiæ ſunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium: quanto magis plenitudo eorum?* quando nimirum *fiet unum ovile, et unus pastor.* Jo. X. 16. Ubi notanda ſunt proxime antecedentia verba: *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere.*

a) *Rom. XI.* 11. *b*) *Ib.* 12.

CAPUT CXXIX.

Caput CXXIX.

TEMPUS CONSUMMATIONIS SÆCULI INCERTUM.

Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. *De die autem illa, et hora nemo ſcit, neque angeli cœlorum, nisi ſolus Pater.* Matth. XXIV. 34.

Jam explicavimus ſuperiore capite ambiguum ſenſum Christi verborum *generatio hæc*, ut ſuſpenſos nos ſalutari timore, ac incertos de ſecundo ſuo ad iudicium adventu teneat. Operæ pretium est ſublime hoc in Evangelio Christi ex ſcriptura et traditione ostendere. Sic S. Petrus *a*): *Omnium autem*, inquit, *finis appropinquavit.* Alibi ut non ſemel S. Paulus Christum ex ore Christi in Evangelio, cui apocalypsis S. Joannis conſpirat, adventurum ſicut ſurem edixit. Et S. Paulus *b*): *Nos ſumus, in quos fines ſæculorum devenerunt.* Et postea prope iam esse reſurrectionem nostram dicit. Et Jacobus *c*): *Patientes estote usque ad adventum Domini, et confirmate corda vestra: quo-*

Nunquam non præstolatum.

a) *I. Petr. IV.* *b*) *I. Cor. X.* *c*) *Jac. V.*

CAPUT CXXIX.

niam adventus Domini appropinquavit. S. Joannes *a*): *Filioli novissima hora est: et ſicut audiistis, quoniam antichristus venit, et nunc antichristi multi facti ſunt; unde ſcimus, quia novissima hora est.* Diligenter vero animadvertendum est, de novissimis temporibus non de ipso die iudicii, quem latere nos Christus voluit, huiusmodi apostolorum dicta esse intelligenda. Secus cum iam tunc, contra ipsa Domini verba dicentis, nondum ſtatim esse finem, fieret, D. Paulus monendum existimavit: *Ut non*, inquit *b*), *cito moveamini a vestro ſensu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.* Idem argumentum versans D. Petrus: *Unum*, ait *c*), *vero hoc non lateat vos charissimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, et mille anni ſicut dies unus*, v. 15. etiam D. Paulum inducit. Uterque nempe, cum essent, qui nimis ſtricte eorum verba acciperent, eis interpretationem dederunt, quæ cum veritate consisteret, nec tamen a ſcopo Salvatoris aberraret, qui vel ideo, ut incerta haberemus momenta ultima, novissimorum temporum, ac diei iudicii perinde ac ultimum vitæ nostræ, promiscue loqui ſolitus erat de ærumnis in instanti urbis Hierosolymitanæ excidio,

a) *I. Joan. II.* *b*) *II. Theſs. II. 2.*
c) *Epist. II. cap. III. v. 8.*

illisque gravissimis, quæ ſecundum adventum ſuum ſunt antecessuræ.

A ſcopo hoc nunquam aberrarunt SS. PP. inde ab apostolicis temporibus, dum identidem terrent fideles, ac si novissima iam essent tempora: quam traditionem operæ pretium est hic explicare. S. Barnabas in priore illa ſuæ epistolæ parte, quæ ex ſolo vetere latino interprete habetur: „Consummata, ait *a*), tentatio, ſicut ſcriptum est, ſicut Daniel dixit, appropinquavit. Propter hoc enim Dominus interdicit tempori, et diei, ut acceleret dilectus illius ad hæreditatem ſuam.“ Opinio porro S. Barnabæ de ſex mille annis usque ad consummationem huius ſæculi congruit iuxta calculum LXXII. Intt. persuasioni antiquiſsimorum PP. qui, ut mox videbimus, atque alibi iam explicavimus ſeptimum milliarium ſabbato in hac vel altera vita deputant *b*). Generatim loquitur S. Ignatius M. ad Ephesios ſcribens *c*): „Novissima iam, ait, ſunt tempora: revereamur, et timeamus Dei longanimitatem, ne in iudicium nobis cedat.“ Eodem ſæculo II. novissima tempora agnoscit S. Justinus M. in Dial. cum Tryphone *d*): „Currentibus ad finem temporibus, iamque eo pro foribus adstante,

a) *Apud Cotel. PP. AA. T. I. p.* 58. *b*) *Eccl. milit. regnum Christi in terris T. I. c.* 8. *p.* 26. etc.
c) *Cap. XI.* *d*) *Num.* 32. *p.* 129.

CAPUT CXXIX.

qui impia et nefanda in altiſſimum loquuturus est.“ S. Irenæus Lib. V. contra hæreses copiose de antichristo tractans *a*), cum eius adventu diſsolutionem desolationemque Rom. Imp. coniungit. Taceo quæ de resurrectione prima, regno Christi millenario post antichristum disputat præsertim c. 35. Tertulliano item per abscessionem II. Thessal. II. 3. quæ prius ventura esset, aperte Romanum Imperium ſeu ſtatum Romanum indigitari est visum: „Cuius, inquit *b*), abscessio in decem reges dispersa antichristum inducet,“ quem iam instare in libro *de fuga in persec.* c. 12. dicit; fuerantque, qui olim Simonem magum, aut Neronem atque nostris etiam temporibus H. Grotius Caium in apocalypsi notatum voluit. Apud Hieronymum in catalogo ſcript. Judas notatur (qui opus ſuum in hebdomadas Danielis usque ad Severum perduxit) adventum antichristi eo tempore prædixisse. Victorinus M. Ep. Petaviensis in apocal. unum inter cæsares in Imperio Romano. II. Thess. II. 7. 8. indigitatum, rediturum putat in fine mundi, quem post prædicatum per orbem terrarum Evangelium futurum putat c. 6. Hunc vero cap. 11. 12. aperte ſuo nomine Neronem appellat. Qui de antiquissimorum christianorum precibus ſolemnibus in liturgia *pro mora finis* (de

a) *Cap.* 26. *b*) *De resurrect. carnis c.* 24. *p.* 340.

qua re passim apud Tertullianum occurrit mentio) tractarunt Joan. Dan. Klugius et Rudolphus Frid. Heizelman, huc etiam rem accipiunt. Eo pertinent, qui cum interitu Romanæ reipublicæ, quem tunc instare ſibi persuadebant, coniunctum esse putarunt finem mundi. Quo ipso ſpectarunt preces illæ pro mora finis, veluti Tertullianus innuit locis, a laudatis auctoribus iam allatis *de resurrect. carnis*, *de oratione*, et *apologetico*, ubi c. 32. memorat hanc „vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam ſæculi acerbitates horrendas comminantem.“ Add. cap. 27. S. Hypolytus Ep. Portuensis, S. Irænei discipulus, in libro de antichristo nihil admodum determinat; vitio autem ei dat Photius in Bibl. cod. 202. quod in interpretatione Danielis ætatem huius ſæculi ad 6000. annorum, ut alii etiam, constringat, finem mundi, quingentis post Christum natum annis circumscribens, ut palam fit ex hoc S. Martyris commentario nuper primum Romæ in lucem protracto, ac passim etiam ex aliis eiusdem et aliorum antiquissimorum SS. Patrum ſcriptis elucescit: qui huc vaticinia de Christo, et Ecclesia constringunt, quibus, ut rem exprimit S. Cyprianus M. in libro de idolorum vanitate: „Deus, ante prædixerat fore, ut vergente ſæculo, et mundi fine iam proximo ex omni gente

Caput CXXIX.

et populo, et loco cultores ſibi adlegeret etc." Alia vero aliorum SS. Patrum testimonia notat Ben. Bossuet in apocalypsin, in eam ſententiam, qua finis mundi cum interitu Romani Imperii coniunctus esse existimatur, quo etiam temporum illorum calamitates pertinere passim edixerunt. S. Cyprianus in aureo pro nostris præsertim temporibus *de unitate Ecclesiæ* libro dum intestina Ecclesiæ mala præ oculis versabantur, „hæreticæ perversitatis et ſchismatum venenata pernicies: quia, pergit, et ſic in occasu mundi fieri oportebat, prænunciante per apostolum nobis, et præmonente Spiritu ſancto: *In novissimis*, inquit, *diebus aderunt tempora molesta, et erunt homines etc.*" Juvat hic exscribere operis illius conclusionem, magis utique temporibus nostris rationem novissimorum temporum habentibus post tot ſæcula atque tempora illa persecutionum ac insequens regnum Christi in terris. „Sic in nobis, inquit, emarcuit vigor fidei, ſic credentium robur elanguit? Et idcirco Dominus tempora nostra respiciens, in Evangelio ſuo dicit: *Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra?* videmus fieri, quod ille prædixit. In Dei timore, in lege iustitiæ, in dilectione, in opere fides nulla est. Nemo futurorum metu cogitat diem Domini, et iram Dei: et incredulis ventura ſupplicia et ſtatuta perfidis æterna tormenta

nemo conſiderat. Quod metueret conſcientia nostra, ſi crederet; quia non credit omnino, nec metuit: ſi autem crederet, et caveret: ſi caveret, evaderet. Excitemus nos, quantum poſſumus, dilectiſſimi fratres, et ſomno inertiæ veteris abrupto, ad obſervanda et gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales, quales eſſe nos ipſe præcepit dicens: *Sint lumbi vestri accincti, et lucernæ ardentes: et vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando veniat a nuptiis, ut cum venerit, et pulsaverit, aperiant ei. Beati ſervi illi, quos adveniens Dominus invenerit vigilantes.* Accinctos nos eſſe oportet, ne cum expeditionis dies venerit, impeditos nos et implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus nostrum lumen, et fulgeat, ut ipſum nos ad lucem claritatis æternæ de hac ſæculi nocte perducat. Exſpectemus ſolliciti ſemper et cauti adventum Domini repentinum, ut quando ille pulſaverit, evigilet fides nostra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata ſerventur, si hæc monita et præcepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non poſſumus, ſervi vigiles Christo dominante regnabimus." Epistola LVIII. plebi Thibari conſiſtenti ſcripta præciſius adhuc loquitur, et accommodatius in eam ſententiam, quam paulo ante explicavimus, Christum nos perinde incertos de antichristi

Caput CXXIX.

CAPUT CXXIX. temporibus, extremoque mundi excidio esse voluisse, ac de mortis articulo, ad cautos, ſollicitos, et continuo vigilantes nos reddendos. Ubi vero illud præprimis notandum, S. martyrem velut indubitatum habere instantem occasum ſæculi atque antichristi adventum; quod recte se habet iuxta mox notatum ſcopum, accommodatumque ei descriptum in apocalypsi usque ad cap. 20. Ecclesiæ ſtatum ſub imperio Romano profano, Romaque Babylone, cuius imperii imminens fatum, præludium quoddam ac figura erat, perinde ac excidium urbis Hierosolymitanæ futuræ aliquando consummationis ſæculi. „Scire enim debetis, inquit S. martyr, et pro certo credere ac tenere, pressuræ diem ſuper caput esse cœpisse, et occasum ſæculi atque antichristi tempus appropinquasse, ut parati omnes ad prælium ſtemus: nec quidquam nisi gloriam vitæ æternæ, et coronam confessionis dominicæ cogitemus. Nec putamus talia esse, quæ veniunt, qualia fuerunt illa, quæ transierunt; gravior nunc et ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta et virtute robusta parare se debent milites Christi; considerantes idcirco, se quotidie calicem ſanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum ſanguinem fundere.“ De instante persecutione loquitur animatque fideles, „ut nemo quidquam de

ſæculo iam moriente desideret, ſed ſequatur Christum." Et mox: „Nec, ait, quisquam miretur, persecutionibus nos assiduis fatigari, et pressuris angentibus frequenter urgeri; quando hæc futura in novissimis temporibus Dominus ante prædixerit, et militiam nostram magisterio et hortamento ſui ſermonis instruxerit." Et postea: „Neque aliquis ex vobis, fratres dilectissimi, futuræ persecutionis metu, aut antichristi imminentis adventu ſic terreatur, ut non evangelicis exhortationibus, et præceptis ac monitis cœlestibus ad omnia inveniatur armatus. Venit antichristus, ſed et ſupervenit Christus. Grassatur, et ſævit inimicus, ſed et ſtatim ſequitur Dominus, passiones nostras et vulnera vindicaturus. Irascitur adversarius et minatur, ſed est, qui possit de eius manibus liberare."

Lactantius *de beata vita* ad profanorum etiam prophetarum, quorum tunc venditabantur oracula, ad Sybillas imprimis provocat: „Congruentes cum cœlestibus divinarum literarum, finem rerum et occasum post breve tempus annuntiantes, describentes quasi fatigati et delabentis mundi ultimam ſenectutem." Proximis capitibus postquam pericula et calamitates ultimorum temporum graphice adumbrasset cap. 25. ei omnis exspectatio non amplius, quam

CAPUT CXXIX. ducentorum annorum videtur. S. Hilarius, dum præ ſe habuit tempora, quibus poteſtas ſæculi tuebatur in Arianis characterem principalem antichriſti, adhuc propius definiens tempus in libro contra Auxentium *a*) „Neceſſe eſt, inquit, in ipſam nos ætatem antichriſti incidiſſe, cuius ſecundum apoſtolum miniſtris in lucis ſe angelos transformantibus ab omnium fere ſenſu et conſcientia, is qui vocatur Chriſtus, aboletur.“

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi X. *de ſecundo Chriſti adventu etc.* *b*) ſigna eum antecedentia explicaturus, „ne decepti moreremur, et a mendaci antichriſto in errorem abduceremur,“ divino nutu motos, ſapienti Dei conſilio apoſtolos acceſſiſſe Chriſtum notat, quæſiviſſeque quando hæc erunt? „Exſpectamus te, ſecundo adventurum, ſed ſatanas transfiguratur in angelum lucis, nos igitur tutos redde, ut non alium tui loco adoremus. Ille autem divinum, beatumque ſuum os aperiens ait: *Videte ne quis vos ſeducat.* Vos quoque auditores, illum nunc oculis mentis tanquam intuentes, eadem vobis quoque dicentem auditote: *Videte, ne quis vos ſeducat.* Qui ſermo vos omnes admonet, ut iis, quæ dicenda ſunt, animum advertatis. Non enim præteritarum rerum hiſtoria

a) *Num.* 5. *p.* 1065. *b*) *Edit. San-Maur p.* 225. *n.* 4.

est, ſed futurarum, et certe futurarum prophetia: non prophetantibus nobis, indigni enim ſumus; ſed proferentibus in medium, quæ ſcripta ſunt, et ſigna declarantibus. Tu vide apud te, quænam ex illis iam contigerint, quænam vero adhuc eventura restent, teque præmuni." Signa ea postquam ex Evangelio recensuisset, defectionem postremo a fide, „Hæc igitur, ſubiungit, defectio est, et exspectandus iam inimicus. Et iam ex parte præcursores ſuos mittere occepit, ut ipse ad prædam paratus ſubsequatur. Tu igitur provide, o homo, et animam ſecuram redde. Testificatur nunc tibi Ecclesia in præsentia Dei viventis, et quæ antichristum ſpectant, prænuntiat tibi, antequam adveniat. Eaque ſive tuo tempore futura ſint nescimus, ſive posterius nescimus: optimum tamen est, te horum gnarum præmuniri." Deinceps num. 12. non alium mundi, quam Romani imperii finem fore ſciscit, tam græcorum, quam latinorum Patrum existimatione, „quam, ut ibidem editor P. Tutteus adnotat *a*), fefellit eventus, nisi adumbratam eius ſpeciem, in Germanico imperio nomine tenus conservatam, veri ac ſolidi Romanorum dominatus, cuius ſuccessio iam pridem interiit, in locum ſubstituas." Aliam aliorum recentiorum præsertim interpretum ſententiam

a) *Pag.* 229. *not.* 1.

CAPUT CXXIX.

retulimus in libro inſcripto: *Eccleſia militans regnum Chriſti in terris.* Singulare eſt, quod poſtea num. 15. S. Cyrillus antichriſtum venturum edicat poſt integram templi Judaici Hieroſolymitani ruinam, quæ necdum quidem fuerat, cum hæc peroraret, accidit nihilominus S. Cyrillo adhuc vivente, ſervatis ſolummodo fundamentis quibusdam, donec Saraceni ſeptimo ſæculo templum in eodem loco religionis ſuæ erexerunt: quod a chriſtianis poſtmodum in eccleſiam converſum, tandem ab ipſis recuperatum Mahumedanorum ſuperſtitioni ſervit: ut laudatus P. Tutteus adnotat ad n. 15., et mox ad n. 16. *a*) ad eorum ſententiam provocat, qui publicum Eccleſiæ cultum antichriſti tempore ceſſaturum exiſtimarunt, ſecus ac S. Cyrillus et alii putant: „Non enim, inquit ille, robur et nervos Eccleſiæ deſperatos habeo," in fidelium ſolatium, quos demum n. 18. hortatus, „teipſum igitur, inquit, præmuni o homo: habes ſigna antichriſti, neque ſolus ea recordare, ſed et omnibus absque invidia communica. Si filium habes ſecundum carnem, illum iam inſtrue, et mone: et ſi quemquam per catecheſin genuiſti, hunc quoque cautum redde, ne falſum (Chriſtum) ſicut verum recipiat. *Jam enim myſterium perficitur iniquitatis.* Terrent me bella nationum: terrent

a) *Pag.* 231. *not.* 2.

Ecclesiarum ſcissiones, terret mutuum fratrum odium: et hæc quidem dicantur tantum; absit vero ut nostris temporibus compleantur, cauti tamen interim fiamus." Caput CXXIX.

Eodem timore quo S. Cyrillus, perculsus quoque fuerat ob Arianam hæresin potestate ſæculi ſuffultam ubique obtinentem S. Hilarius, ut ostendimus memorato etiam mox libro, qui contra Auxentium n. 5. ſcribens: „Necesse est, ait, in ipsam nos ætatem antichristi incidisse:" S. Basilius item ad S. Gregorium de iisdem turbulentissimis temporibus ſpem tamen dubiam concipiens: „Sed si, ſcribit *a*), nihil evenerit eorum, quæ ſperamus, non procul abest Christi iudicium." Et S. Barsam Edessenum episc. *b*) ſanctissimum ad orationem, ſpem inter et metum, hortatus: „Ut, ait, Dominus non tradat nos in perpetuum inimicis crucis Christi, ſed custodiat ecclesias ſuas usque ad tempus pacis, quam novit ipse iustus iudex, quando ſit redditurus. Reddet enim, nec nos perpetuo deseret. Sed quemadmodum Israelitis annos ſeptuaginta præstituit pro peccatis ad captivitatis pœnam; ita forte et nos omnipotens per ſtatum aliquod tempus traditos aliquando revocabit, ac in pristinam pacem restituet; nisi forte appropinquat de-

a) *Epist. LXXI. T. III. p.* 166. *b*) *Ep. CCXIV. p.* 408.

fectio, et quæ nunc fiunt, exordia ſunt ingreſſus antichriſti. Quod quidem si ita ſit, precare, ut aut ærumnas auferat, aut nos inter ærumnas invictos bonus ille cuſtodiat.“ Idem dum deplorandum tunc Eccleſiæ ſtatum in epiſtola ad Galliæ et Italiæ episcopos graphice et copioſe deſcribit ingemiſcens: „Quæ, inquit, deploratio his calamitatibus digna, aut par eſſe poſſit? Quales lacrymarum fontes his malis ſufficient? Quamdiu igitur ſtare quidam adhuc videntur, tamdiu adhuc veſtigium veteris ſtatus præſervatur, priusquam conſummatum Eccleſiis naufragium eveniat. Præſens instat iam nobis, instat, inquam, integerrimi fratres, porrigite manus.“

Opportune ſic tum iam ad fatum, quod perpeſſa florentiſſima Orientalis Eccleſia adhuc fert, loquitur S. Baſilius, ad intentum a Chriſto finem, quo nos de die et hora illa ſuſpenſos ad continuo non ſolum vigilandum, verum etiam orandum excitet, omnium optime, ad orationem hortatus, ne imparatis nobis ac incuriis *ſuperveniat repentina dies illa. Tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, et ſtare ante Filium hominis,* ut Chriſtus apud Lucam XXI. 33. etc. loquitur,

et apud Marcum XIII. 33. *Videte, vigilate, et orate, neſcitis enim, quando tempus ſit . . . quando dominus domus veniat : ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Quia incerta iudicii exſpectatio ad continendos in officio homines, atque a pravis operibus absterrendos aptior est, quam ipsa mortis incertitudo apud homines in flore ætatis, integræque ſanitatis constitutos ſaltem: *Cum enim dixerint pax et ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus*, iuxta apostolum *a*), *tanquam fur*, ut mox loquitur perinde ac ipse etiam Christus, qui nobis multa eiusdem diei ſed fere ambigua dedit ſigna. Et ſiquidem certam etiam præstolemur Judæorum conversionem; fieri potest, ut et ipsa repentina ſit futura, quæ nobis a prophetis prædicitur *in novissimo dierum* *b*), designante porro personam, per quam futura ſit, Malachia prophetarum ultimo *c*): *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis.* Communisque est persuasio, esse hunc unum ex duobus testibus Apoc. XI. 3. Sed nos ad ſeriem nostrorum testium redeamus.

CAPUT CXXIX.

S. Ambrosius lib. X. in cap. XXI. Lucæ quo perinde ac Matth. XXIV.

a) *I. Theſs. V.* 2. *b*) *Oseæ III.* 5. *et Mich. IV.* 1. *c*) *Malach. IV.* 5.

CAPUT CXXIX.

excidium urbis Hieroſolymitanæ, et orbis deſcribitur: „Verborum autem, inquit *a*), cœleſtium nulli magis, quam nos teſtes ſumus, quos mundi finis invenit. Quanta enim prælia, et quas opiniones accepimus præliorum? Hunni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Tayfalos, et Sarmatas inſurrexerunt etc. Ergo quia in occaſu ſæculi ſumus, præcedunt quædam ægritudines mundi. Ægritudo mundi eſt fames, ægritudo mundi eſt peſtilentia, ægritudo mundi eſt perſecutio.“ Et paulo poſt *b*): „Prædicetur Evangelium, ut ſæculum deſtruatur. Sicut enim præceſſit in orbem terræ Evangelii prædicatio, cui iam et Gothi, et Armeni crediderunt, et ideo mundi finem videmus . . . Tunc appropinquabit deſolatio, quoniam a vera religione plerique lapſi errore deſciſcent.“ Idem in orat. funebri Satyri fratris ſui: „Raptus eſt, inquit, ut totius orbis excidia, finem mundi non videat.“

S. Hieronymus ab Algaſia requiſitus quæſt. 9. illud II. Theſs. II. 3. *Niſi diſceſſio venerit primum, et revelatus fuerit homo peccati*, ſic aperte interpretatur, ac circumſcribit rem: „Niſi, inquit *c*), fuerit Romanum imperium ante deſolatum, et anti-

a) *T. I. opp. pag.* 1506. *b*) *Pag.* 1507.
c) *T. IV. p.* 209.

christus præcesserit, Christus non veniet: qui ideo ita venturus est, ut antichristum destruat. Meministis, ait, quod hæc ipsa, quæ nunc ſcribo per epistolam, quum apud vos essem præsenti ſermone narrabam: et dicebam vobis Christum non esse venturum, nisi præcessit antichristus. Et nunc quid detineat ſcitis: ut reveletur in ſuo tempore; quæ causa ſit, ut antichristus in præsentiarum non veniat, optime nostis. Nec vult aperte dicere Romanum imperium destruendum, quod ipsi, qui imperant, æternum putant. Unde ſecundum apocalypsim Joannis in fronte purpuratæ meretricis ſcribitur nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ. Si enim aperte audacterque dixisset: non veniet antichristus, nisi prius Romanum deleatur imperium, iusta causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam consurgere videbatur. Quodque ſequitur: *Jam enim mysterium operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet, teneat, donec de medio fiat: et tunc revelabitur ille iniquus*, hunc habet ſensum: Multis malis atque peccatis, quibus Nero impurissimus cæsarum mundum premit, antichristi parturitur adventus: et quod ille operaturus est postea, in isto ex parte completur; tantum ut Romanum imperium, quod nunc universas gentes tenet, recedat et de medio fiat: et

Caput CXXIX.

Caput CXXIX.

tunc antichriſtus veniet, fons iniquitatis, quem Dominus Jesus interficiet ſpiritu oris ſui etc." Idem doctor in Matth. XXIV. „Signum, inquit *a*), Domini adventus est Evangelium in toto orbe prædicari, ut nullus ſit excusabilis; quod aut iam completum, aut in brevi cernimus esse complendum. Nam non puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quamquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare." At vero mille et quod excedit post Hieronymum annis demum magna orbis terraquei portio, ab Americo America dicta, detecta est, in qua Evangelium demum posteriore hac ætate prædicatum fuit hactenus; prædicaturque.

S. Jo. Chrysostomo Hom. XX. in Matth. n. 6. *b*) post ſæculum, quod currebat, non longe abesse visa est ista dilatio. „Nam, pergit, ad fores res ipsæ ſunt, nec ſcimus, num forte in hac generatione omnia nostra finem habitura ſint, et dies ille tremendus ſit adventurus, horrendum illud et nullam personarum acceptionem habens tribunal ostensurus. Nam pleraque ſigna iam perfecta ſunt, ac demum Evangelium per totum orbem prædicatum fuit, ac bella, ter-

a) *Lib. IV. in Matth. T. IV. p.* 115.
b) *T. VII. p.* 267.

ræque motus, et fames evenerunt, nec magnum iam intervallum est. Sed ſigna non vides? Et hoc ipſum magnum ſignum eſt. Neque enim qui Noæ tempore erant, procœmia generalis interitus viderunt, ſed interim ludentes, edentes, uxores ducentes, conſuetaque omnia agentes, ſic a terribili illa ultione comprehenſi ſunt. Similiterque in Sodomis, deliciis operam dantes, nihilque eorum, quæ poſtea facta ſunt, ſuſpicantes, ab immiſſis fulminibus combuſti ſunt. Quæ omnia cogitantes, ad perfectionem hinc parandam nos convertamus. Etiamſi enim communis ille conſummationis dies non inſtet; uniuſcuiuſque finis in ianuis eſt, ſive ſenex, ſive iuvenis ſis etc." Determinatius loquitur S. Pater homilia XXXV. al. XXXIV. in Joannem *a*), illum D. Pauli locum Phil. IV. 5. *Dominus prope eſt*, verſans: „Non enim, ait, longe a conſummatione abſumus, ſed ad finem iam mundus vergit. Hoc prænunciant bella, ærumnæ, terræmotus, hoc extincta charitas. Sicut enim corpus exſpirans et morti proximum, mille doloribus afficitur, et ruitura domus multa præmittit, quæ ex tecto et ex parietibus decidunt; ſic conſummatio orbis iam prope et præ foribus eſt: ideo mala undique ipſum invadunt. Nam ſi tunc Dominus prope erat, multo magis

a) *T. VIII. p.* 200.

Caput CXXIX.

nunc prope eſt. Si ante quadringentos annos cum hæc dicerentur, tempus illud plenitudinem temporum Paulus vocabat, multo magis præſens tempus ita vocandum. At fortaſsis ideo quidam non credunt; atqui ideo magis credendum. Unde noſti, mi homo, finem et ſupra dicta non prope eſse? Certe ut anni finem non diem ultimum dicimus eſse, ſed etiam ultimum menſem, etsi triginta dierum ſit; ita si tot annorum quadringentesimum eſse finem dixerimus, non aberravimus. Itaque iam tunc ille finem prænuntiavit." Notant editores San-Mauriani in præfat. §. 2. ſcriptas eſse has homilias ab anno 390. usque 394. vel 395. haud procul ab an. 400. Unde auſpicium ſumitur ſæculum V. quo Roma toties diruta, Romanaque monarchia in Auguſtulo concidit.

Id quod SS. PP. præ oculis habuerunt, ut paulo ante de S. Cypriano notavimus, et alibi explicavimus de regno Chriſti millenario in terris iuxta apocalypsin S. Joannis, in qua ſtatus Romani imperii Romæque idololatræ ſub nomine Babylonis eiusque interitus explicatur usque ad cap. 20. quo regnum illud millenarium proponitur, poſteaque ſolvendum ſatanam. Nec vero S. Auguſtinus apocalypsis S. Joannis meminit in epiſt. 197. et 199. ad Heſychium

episcopum Salonitanum *a*), qui ut palam facit eius epistola ibidem 198. fatetur quidem, diem et horam consummationis ſæculi fruſtra inquiri; attamen ex calamitatibus perversitatibusque temporum illorum post initia nempe ſæculi V. instare tunc adventum Domini confidenter nimis asseruerat; S. Augustinus autem fassus quidem, esse nunc novissimum tempus, imo horam iuxta apostolum Joannem novissimam, nihilominus vult: quod præstet non inquirere tempus illud, ſed hoc agere, ut unusquisque ad excipiendum iudicem ſit paratus. Est hoc, quod S. Hieronymo, et Augustino cumprimis celebrata S. Melania præ oculis habens charam prolem ſuam ad contemtum ſæculi hortatur his verbis: „Filii, plusquam quadringentis ab hinc annis ſcriptum est, *ultima hora est:* quid ergo lubenter ac volentes immoramini in vanitate vitæ? Ne forte veniant dies antichristi, et non possitis fieri compotes opibus vestris." S. Augustinus misisse ſe Hesychio initio ſtatim epist. 197. memorat, quæ S. Hieronymus *b*) ad rem ſcripserit, quem paulo post n. 5. dicit temeritatis notasse opinionem cuiusdam, in nonum Danielis caput, quod ausus fuerit Danielis hebdomadas de adventu Christi futuro, non de præterito

Caput CXXIX.

a) *T. II. p. 737. etc.* *b*) *Vid. S. Hieron. in cap. VII. etc. Danielis et epist. ad Algasiam quæst. XI.*

CAPUT CXXIX.

exponere. Heſychium etiam fuiſse in ea opinione, inde palam fit, quod S. Pater epiſt. 199. n. 21. totam quæſtionem eſse pronunciet: utrum Danielis hebdomades primo adventu Domini impletæ ſint, an finem ſæculi prophetarint, an ad utrumque pertineant. „Quod autem, paulo poſt ait, de ſignis evangelicis et propheticis, quæ fieri cernimus, propinquum Domini adventum ſperare debeamus, quis negat? Quotidie quippe magis magisque fit proximus. Sed quanto intervallo propinquet, hoc dictum eſt: *Non eſt veſtrum noſſe tempora.*" Nec eum fefellit opinio, dum paulo poſt faſſus quidem, abundaſſe iam tunc perverſitatem temporum ſeu hominum: „Sed quid, addit, ſi abundantiores erunt poſt nos, et omnino abundantiſſimi, quando iamque ipſe finis inſtabit, qui quamdiu aberit ignoratur?" Signa autem paulo poſt ad tria iſta refert: ad excidium urbis Hieroſolymitanæ; ad adventum Chriſti in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia; ad adventum eius in capite Eccleſiæ, quod eſt ipſe. Eſt vero is ipſe ſupremus ad iudicium adventus, ad quem collatis inter ſe evangeliſtarum locis id potiſſimum ſpectare dicit, quod ait apoſtolus: *cum dixerint pax et ſecuritas a)*, quæ tunc ſint ventura, „quando ſic erit tribulatio univerſo orbi, ut ad

a) *I. Theſs. V.* 3.

Eccleſiam pertineat, quæ univerſo orbe tribulabitur, non ad eos, qui tribulabunt eam. Ipſi enim dicturi ſunt: *Pax et ſecuritas*, ut repentinus illis ſuperveniat interitus; ... quando e contrario gaudebunt, et exultabunt, qui diligunt manifeſtationem Domini. Nunc autem iſta mala, quæ tanquam ſumma et extrema creduntur, utrique genti et utrique regno et Chriſti ſcilicet et diaboli videmus eſſe communia." Notandum demum S. Auguſtinum non prorſus a communi illa ſententia, Romanum imperium eſſe hic attendendum, abire: „Illud tamen, inquit, quod apoſtolus ait: *tantum qui modo tenet, teneat*, non abſurde de ipſo Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum ſit: tantum qui modo imperat, imperet, *donec de medio fiat*, id eſt, de medio tollatur."

Ita etiam Theodoretus commentario ſuo in Danielis caput ſecundum ſtatuit, ubi ſomnium Nabuchodonoſoris explicatur, quo ei quatuor monarchiæ fuerunt repræſentatæ in ſtatua partim aurea, argentea, ærea partim ferrea et teſtacea, quam lapis de monte ſine manibus exciſus comminuit: „Quodſi, inquit *a*), contendant priorem Domini adventum his verbis ſignificari, oſtendant, Romanum imperium ſimul atque Salvator

a) *T. II. p. 569. edit. Sirmond.*

Caput CXXIX. apparuit, periiſse. Omnino enim contra reperire est, viguiſse ipsum, et non periiſſe cum Salvatoris ortu etc.“ Eodem modo commentatur in caput ſeptimum *a*), quo visio Danielis quatuor bestiarum exponitur, et in caput undecimum ostendit *b*), quomodo ad interrogationem apostolorum: „*Quando hæc erunt, et quod ſignum adventus tui?* Christus Dominus promiscuum reddit responsum, ſimul ea dicens, et quæ Hierosolymis essent eventura, et quæ in consummatione ſæculi futura.“ Sic etiam ex Theodoreti ſententia Daniel ab Antiocho Epiphane tanquam imagine transit ad exemplar: „Exemplar autem, inquit, Antiochi est antichristus, et antichristi imago Antiochus.“ Et paulo post: „Quod si quis, pergit, prophetiæ ſeriem inquirens, hæc non ita se habere credat, is evangelicam doctrinam mente repetat, ubi Dominus ſimul, et quæ ad communem, et quæ ad ipsius Hierusalem consummationem pertinent, prædicit etc.“ Dum nos legimus Dan. XI. 40. *Et in tempore præfinito præliabitur etc.* ipse legens, *in fine temporum*, ſubdit: „Sæpe diximus, quartæ bestiæ decem cornua, quæ eodem tempore apparuerunt, decem reges ſignificare, qui circiter finem Romani imperii regnabunt,“ multa deinceps explicans in Daniele, quæ Antiocho

a) *Ib. p. 637. etc.* *b*) *Pag. 677.*

convenire nequeant ultimis temporibus futura iuxta doctrinam evangelicam et apoſtolicam de periculis noviſſimorum temporum, quæ incerta eſſe voluit Salvator, ut ſemper parati eſſemus et vigiles; anſam autem ſumpſerunt veteres SS. Patres ex concuſſionibus Romani imperii iugem apud fideles temporum illorum refricandi memoriam.

Atque ex his ante Auguſtulum eidem propinquior Theodoretus, poſt Auguſtulum vero S. Gregorius paſſim hoc argumentum proſequitur Romæ Romanique imperii ruinas lamentando. Sic lib. II. hom. VI. in Ezech. *a*): „Ubique, inquit, luctus aſpicimus, undique gemitus audimus. Deſtructæ urbes, everſa ſunt caſtra, depopulati agri, in ſolitudinem terra redacta eſt. Nullus in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remanſit: et tamen ipſæ parvæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie et ſine ceſſatione feriuntur.“ Loquitur de Italia et Roma, ubi paulo poſt ſenatum ablatum, populumque peſte aut gladio ſublatum luget. Mox duces et principes reipublicæ Romanæ leonibus comparans, „qui per diverſas mundi provincias diſcurrentes, prædam ſæviendo et interficiendo rapiebant etc.“ „Sed iam, ſubdit, ecce deſo-

a) *T. I. p.* 1374.

Caput CXXIX. lata, ecce contrita, ecce gemitibus oppreſſa est.“ Integra in hoc argumento verſatur lib. I. hom. I. in Evangelia in Luc. XXI. quo vaticinium Christi de excidio Hieroſolymitanæ ſimul urbis et orbis continetur. „Appropinquantem, inquit *a*), eius terminum quantæ percuſſiones præveniant, innoteſcit; ut si Deum metuere in tranquillitate non volumus, vicinum eius iudicium, vel perſecutionibus attriti timeamus.“ Poſtea allatis evangeliſtæ verbis, applicatisque ad ſuorum temporum calamitates: „Signa vero, pergit, in ſole, et luna, et ſtellis adhuc aperte minime videmus, ſed quia et hæc non longe ſint, ex ipſa iam aëris immutatione colligimus. Quamvis priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cœlo acies vidimus, ipſum, qui poſtea humani generis fuſus est ſanguinem coruſcantem. Confuſio autem maris et fluctuum necdum nova exorta est. Sed cum multa prænuntiata iam completa ſint, dubium non est, quin ſequantur etiam pauca, quæ reſtant: quia ſequentium rerum certitudo est præteritarum exhibitio.“ Notabilis cumprimis est in hanc rem S. Gregorii locus lib. XI. Reg. epist. 66. ad Edilbertum regem Anglorum: „Præterea, ſcribit, ſcire veſtram gloriam volumus, quia ſicut in ſcriptura ſacra ex verbis Domini

a) *T. I. p.* 1436. *etc.*

omnipotentis agnoſcimus, præſentis mundi iam terminus iuxta eſt, et ſanctorum regnum venturum eſt, quod nullo unquam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent, quæ ante non fuerunt, videlicet immutationes aëris, terroresque de cœlo, et contra ordinem temporum tempeſtates, bella, fames, peſtilentiæ, terræmotus per loca. Quæ tamen non omnia noſtris diebus ventura ſunt, ſed poſt noſtros dies omnia ſubſequentur.“ Jam tunc in Auguſtulo occidentale deſierat imperium, ab Alarico, Genſerico, et deinceps ab aliis ſæpe obſeſſa, capta, et vaſtata Roma, quibus conſummatio illa Romani imperii, Romæque Babylonis apocalypticæ perficiebatur iuxta iam memoratam ſententiam antiquorum Patrum, et ſyſtema Boſſueti, aliorumque recentiorum.

Caput CXXIX.

In noviſſima operum editione Boſſueti, opera PP. S. Mauri curata, poſt commentarium in apocalypſin ſequitur monitum ad Proteſtantes de prophetiis *a*), quas dicunt eſſe completas: ubi eadem iterum ex apocalypſi reſumitur materia de antichriſto imprimis, quem ipſe ex S. Auguſtino lib. XX. c. 19. *b*), principem aliquem hæreti-

Et caute præſtolandum.

a) *Avertiſſement aux Proteſtans ſur leur prétendu accompliſſement des Prophéties T. III. p.* 554. *b*) *Ib. p.* 637.

Caput CXXIX. cum coniicit, qui ſectam ſuam pro vera ſtatuat Eccleſia. Idque pro certo habet, fore illum falsum aliquem reformatorem, cuius miſſio ſit ſubtilis hypocriſis, quod proprie ſit mysterium iniquitatis: fore autem illum, invicte demonſtrat, unum hominem quemdam, non ſeriem aliquam hominum, qualem proteſtantium nonnulli in ſede Romana iam per multa ſæcula finxerant. Idem argumentum tractavit poſtea contra Sam. Werenfelsium *de excidio Babylonis apud S. Joannem a*), quod iterum de Romano imperio idololatrico, Eccleſiam Chriſti perſecutionibus dirum in modum premente, deque populationibus per Alaricum et alios factis, atque in apocalypſis prima parte explicatis usque ad cap. XX. exponit, in quo tranſit ad ultimam perſecutionem Eccleſiæ in fine ſæculi, quando ſolvendus eſt ſatanas, idque quam maxime obſervandum animadvertit, perſecutionem illam potiſſimum conſtare, dum ſatanas, qui ligatus fuerat per mille annos *b*), *ut non ſeducat gentes*, cum conſummati fuerint mille anni ſolutus fuerit, *de carcere ſuo et exibit, et ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ etc.* Id vero ſingillatim animadvertit, nihil haberi hic de martyribus aut de effuſo ſanguine in teſtimonium Jeſu, ut in perſecutione Romana *c*), dum fallendo et

a) *Ib. p.* 701. *b*) *Apoc. XX.* 3. *etc.* *c*) *Pag.* 786.

ſeducendo cuncta peragentur. Signum autem præcipuum ac characterem illum ex I. Jo. II. 22. ſtatuit antichriſti: *Hic est antichristus, qui negat Patrem et Filium*, nempe Jesum Christum esse verum Filium Dei, aut eum non venisse in carne: quæ est antiquissimorum Patrum ſententia, qui contra huiusmodi monstra hæresum, quæ ipsa etiam S. Joannes in citata epistola petit, iam temporibus apostolicis emergi cœpta ſcripserunt S. Irenæus contra Hæreses, Tertullianus contra Marcionitas, et in aureo de *præscriptionibus hæreticorum* libro, ubi cap. XXXIII. id expresse de S. Joanne: „At in epistola, inquit *a*), eos maxime antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, et qui non putarent Jesum esse Filium Dei. Illud Marcion, hoc Ebion vindicavit.“ Sed deteriora monstra ætas nostra tulit, quæ necdum vidit Bossuetus (ex quibus iam cerberus infernalis templum Dei, et ſanctorum eius invasit) nata ad præparanda antichristi tempora Voltaire, Helvetius, Rousseau, Diderot, Dalembert, Rainald etc. tempora de quibus Christus: *Filius hominis*, ait, *cum venerit, putas ſidem inveniet in terris?*

Caput CXXIX.

Respiravit iterum ſæculo VI. in Occidente etiam imperium Romanum ſub Justiniano

a) *Pag.* 214.

Caput CXXIX. Imp. ducibus Bellisario et Narsète, qui an. 553. Totilam devicit, a quo Roma iterato capta fuerat et vastata; nec obstantibus Longobardorum incursionibus, imperatores Orientis Romæ ſunt dominati ſub ſuccessoribus etiam Gregorii M. qui futura quandocunque demum novissima tempora præcisius designat ea, quibus „fides erit in opprobrium, et veritas crimen.“ Perinde est, quod legitur Isai. XIX. 15. *Et facta est veritas in oblivionem*, ubi Judæorum conversio ad Christum prædicitur, ipso apostolo interprete Rom. XI. 26. *Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret: et ſic omnis Israel ſalvus fieret, ſicut ſcriptum est: veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob.* Quem locum iam ſupra explicavimus. Hucque accipit S. Hieronymus illud Deuter. XXVIII. 13. *Constituet te Deus in caput, et non in caudam* nempe rediturum Israelem, postquam plenitudo gentium intraverit: *Ita ut*, ſcribit in Oseæ XXX. et ſæpe alibi, *qui fuerat caput, vertatur in caudam, et cauda vertatur in caput, et tunc fiat unus grex, et unus pastor.*

Terret vero cum Romanis nos idem apostolus, qui ſumus ex gentilibus fideles, mox laudato capite undecimo ad Rom. 20. *Tu autem fide ſtas: Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit;*

ne forte nec tibi parcat. Et v. 25. *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc: (ut non ſitis vobis ipsis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.* Thessalonicenses vero quasi de iam instante adventu Domini perplexos: *Ne quis vos,* admonet *a*), *ſeducat ullo modo: quoniam, nisi venerit discessio primum etc.* Quam discessionem novissimis temporibus explicat I. Tim. IV. 1. etc. II. Tim. III. 1. etc. et D. Petrus ep. II. c. 3. Hæcque in memoriam revocans Judas apost. in ep. cath. *Vos autem,* inquit, *charissimi memores estote verborum, quæ prædicta ſunt ab apostolis D. N. J. C., qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, ſecundum desideria ſua ambulantes etc.* Et S. Joannes postquam Apoc. XX. 6. beatum et ſanctum prædicasset, *qui habet partem in resurrectione prima: in his,* pergit, *ſecunda mors non habet potestatem, ſed erunt ſacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, ſolvetur ſatanas de carcere ſuo, et exibit, et ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est ſicut arena maris.*

Longius hic evagarer, si recensendas in me ſusciperem varias opinationes, ſparsas

a) *II. Theſs. II.* 3.

Caput CXXIX.

etiam per pseudoprophetas, et prophetissas, post annum a Christo millesimum expletum quasi regnum millenarium. Quibus temporibus qui propiores erant, identidem etiam phrasi illa iam S. Gregorio M. familiari usi ſunt, præses quoque in frequenti concilio Ausensi archiepiscopus Viennensis, de *quasi ſenio quodam debilitata* ſeu *confecta Ecclesia.* Sic Remigius Altisiodorensis ſæc. IX. illa psalmorum verba: *Inveteravi inter omnes inimicos meos*, et: *iunior fui, etenim ſenui*, explicat de Ecclesia, „quæ nunc ſenuit, quia charitas refriguit." Et eodem ſæculo Agobardus archiepiscopus Lugdunensis *de privil. et iur. ſacerdotum*, quæ violata vel maxime formidinem ad finem vergentis regni Christi in terris Ecclesiæ militantis ingerere poterant: „Mundus, inquit, ipsa ſua ſenectute deprimitur, et quasi ad vicinam mortem molestiis crescentibus urgetur, quod nos absque ambiguo de Ecclesia dicere possumus." Admodum periculosum in ipsa Ecclesiæ arce Romana Ecclesia videri poterat tam atris coloribus adumbratum ab ipso annalium parente Baronio ſæculum decimum. Sequentis deinde undecimi perversitatem coram cernenti pensitantique S. Petro Damiani haud occurrit: „Nisi quia venturo citius antichristo via iam ſternitur." Ep. 15. Nullum fortius calcar quam novissimorum temporum opinio

ad ſacras in terram ſanctam expeditiones eſse poterat, quas ſæc. XII. tanta contentione promovere ſategit, ſpe, intimo animi dolore, fruſtratus S. Bernardus, cui ſerm. XXXIII. in Cantic. deplorabilem rerum ſtatum deſcribenti „inteſtina et inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ viſa." Erat porro ſæc. XII. perinde ac XI. pervulgata de ingruente adventu antichriſti perſuaſio. Jungendus eſt S. Bernardo eius diſcipulus in diſciplina monaſtica ordinis Ciſterc. Oddo ex monacho Morimundenſi epiſcopus Friſingenſis, qui integrum librum octavum ſuæ hiſtoriæ pertractandæ huic materiæ tribuit *de duabus civitatibus* inſcriptum, ad noviſſima vero antichriſti fere tempora reſpiciens cum fatis Romani imperii coniuncta, prout in libro, cui titulus *Eccleſia militans regnum Chriſti in terris* tum primo volumine cap. XII. *a*) ſingillatim *Romani imperii fata cum Eccleſiæ noviſſimis coniuncta*, tum deinceps paſſim, præſertim autem volumine ſecundo ediſſerui *b*), Eccleſiæ militantis tempora noviſſima perſecutus de antichriſto ſingillatim tum antiquiſſimorum SS. Patrum, cum etiam medii ævi opiniones c. 59. *c*) de coniunctis cum temporibus noviſſimis imperii Romani fatis.

a) *Pag.* 57. *b*) *Pag.* 215. *c*) *Pag.* 308.

Caput CXXIX.

Hæc omnia ſimul complexus eſt D. Thomas *a)* luculenter omnino, ſingula præ oculis ponens, extrema nempe mundi tempora, excidium orbis cum excidio urbis Babylon ſcilicet apocalypticæ ruinaque veteris Romani imperii, atque persecutionem Eccleſiæ a gentilibus, cum persecutionibus, et periculis postremorum temporum coniungens. Idque nos timore ſalutari ſemper magis et magis concutere debet, ut qui ſtat, videat ne cadat, quo calamitosiora, Eccleſiæque periculoſiora identidem ingruere videmus tempora, et Eccleſiæ conculcari fidem, atque abiici auctoritatem potestatemque in altera hac temporum periodo: quod nobis S. Thomas explicans iam citatus, „Dicendum, inquit, quod nondum cessavit (Romanum imperium) ſed est commutatum de temporali in ſpirituale, ut dicit Leo papa in ſermone de apostolis: et ideo discessio a Romano imperio debet intelligi non ſolum a temporali, ſed etiam a ſpirituali, ſcilicet a fide catholica Eccleſiæ Romanæ. Est autem hoc conveniens ſignum: quia ſicut Christus venit, quando Romanum imperium omnibus dominabatur; ita econtra ſignum adventus antichristi est discessio ab eo. "

a) Lect. I. in Epist. II. ad Theſs. c. 2.

Eo usque haud procedit, qui in apocalypſi S. Joannis propheticam quidem quandam ſeriem historiæ christianismi usque ad finem mundi per tres observat epochas celebratissimus Meldensis episcopus Benig. Bossuet in commentario, et breviter in compendio apocalypsis ad calcem commentarii, ubi tria tempora ſeu ætates Ecclesiæ præcise in apocalypsi ordine notata distinguit: primam ab exordio temporum persecutionum Judaicarum quidem, quas per Gentiles moverunt, usque ad cap. IX. Gentilium persecutiones prosequitur inde ad caput usque XX. Secundam ætatem ab initio capitis XX. notat usque ad v. 8. Ecclesiæ ſcilicet regnum ſuper terram: deinceps usque ad finem ætate tertia ſignat tentationem Ecclesiæ ultimis temporibus, quando ſolutus ſatan extremas vires experietur ad illam destruendam, ſubsecutura mox universali resurrectione et extremo iudicio. Bossuetus tamen in ſuo commentario potissimum primam ætatem ſibi explicandam ſumsit contra Protestantes, demonstrando, imperium Romanum profanum, non ſacrum intelligi debere, monarchiam nempe Romanam; atque Babylonem ac bestiam in apocalypsi notatam esse Romam non christianam, ſed profanam (*Rome conquérante et ſon Empire*) quæ est, *civitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ*,

Caput CXXIX.

iuxta constantem traditionem et doctrinam Patrum, a qua orthodoxi nunquam avelli ſe ſinent. „C'est donc, ut in præfatione loquitur, une tradition constante parmi les Pères de l'origine du christianisme, que la Babylon dont S. Jean prédit la chûte, étoit Rome conquérante et ſon Empire; et par la est renversé de fond en comble tout le ſystême Protestant, puisqu'on y cherche la chûte, non à l'exemple des Pères, d'un grand Empire, et d'une Rome maîtresse de l'univers par ſes victoires, mais d'une église chrétienne, et d'une Rome mise à la tête des églises chrétiennes par la chaire de S. Pierre."

Figmentum illud de Romana christiana Babylone ex ipsis Protestantibus iam exploserat ante Bossuetum H. Grotius ſingulari dissertatione ad interpretationem locorum novi testamenti, quæ de antichristo agunt, aut agere putantur, quam appendicis loco annotationibus ſuis ad apocalypsis cap. XVII. annectit; ad quem in laudata præfatione provocat Bossuetus et ad Hammondum, ipsumque Bullingerum Zwinglii apud Turicenses ſuccessorem, qui rem ad Romam idololatricam referendam esse invictis demonstrarit argumentis. Novos nuper inter alios Protestantes conatus fecit Bengelius, a ſuismet tamen passim explosus,

eum ſuis aſſeclis. In actis Historico-Eccl. nostri temporis Vinarienſibus recenſetur Jo. Balthas. Lüderwald historia recentiorum motuum apud Protestantes ſuper apocalypſin a Bengelio eiusque hyperaſpiſta Aug. Cruſio factis, quibus tamen J. Aug. Erneſti in Bibl. theol. oſtendit, quam infirmo talo totum illud ſyſtema nitatur unico ſcilicet loco Habac. III. 2. Ac ſi ibi Chriſtus in medio annorum venturus dicatur. Cætera omnia, quæ Lüderwaldius in tota illa hiſtoria proſequitur, ad id potiſſimum faciunt, ut inconſtantiam Proteſtantium prodant tam in interpretatione apocalypſis, quam etiam circa eius auctorem, et auctoritatem, quam pro lubitu labefactant, aut etiam doctrina temerarie abutuntur, et maxime impie in blaſphemo illo fragmento de ſcopo Chriſti et apoſtolorum in conſtituendo ſibi regno terreno, uti videre eſt in eiusdem Lüderwaldii notitia de iisdem fragmentis.

Antiquiſſimos Patres perplexos quam maxime habuit regnum mille annorum *a*), quod primis pericopis capitis vigeſimi ſtatuit S. Joannes. Habuit etiam inter Novatores patronos ſæc. XVI. Thomam Munzerum, Auguſt. Weber, et Joan. de Leiden error ille vetuſtiſſimorum chiliaſtarum.

a) *Vid. S. Auguſt. Lib. XX. de civ. Dei cap. 7.*

Caput CXXIX. Notat in editione operum S. Iræenei P. Maſſuet, poſteriora quinque capita libri V. contra hæreſes ſine dubio ob propugnatum in eis millenariorum errorem ſtudio omiſſa fuiſſe a pluribus ſcribis, uti in Mſs. deprehendit, S. Hieronymus vero in procemio comment. in c. XVIII. Isaiæ refert a Dionysio Alexandrino impugnatum fuiſſe eleganti libro Irænæum; irriſam vero craſſam fabulam, cuius auctor Cerinthus dicitur. A Patribus quidem corporalem reſurrectionem creditam fuiſſe, non vero lubricam adeo et animalem S. Auguſtinus notavit: „Primam reſurrectionem, ſunt eius verba, futuram ſuſpicati ſunt corporalem; inter cætera maxime numero annorum mille permoti ſunt, tanquam oporteret in ſanctis eo modo velut tanti temporis fieri Sabbatiſmum, vacatione ſcilicet ſancta poſt labores annorum ſex millium, ex quo creatus eſt homo." Lib. XX. de civit. Dei cap. 9. disquirens, quod ſit regnum ſanctorum cum Chriſto per mille annos, et in quo diſcernatur a regno æterno, ad verba Apocal. cap. XX. 4. „*Et animæ occiſorum propter teſtimonium Jesu*, *et propter verbum Dei*, ſubauditur, ſubdit, quod poſtea dicturus eſt, *regnarunt cum Jesu mille annis*; animæ ſcilicet martyrum nondum ſibi corporibus ſuis redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ

etiam nunc eſt regnum Chriſti. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Chriſti etc." Et paulo poſt: „Quamvis ergo, pergit, cum ſuis corporibus nondum, iam tamen eorum animæ regnant cum illo, dum iſti mille anni decurrunt. Unde in hoc eodem libro et alibi legitur: „*Beati mortui, qui in Domino moriuntur, a modo iam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis: nam opera eorum ſequuntur illos.* Regnat itaque cum Chriſto nunc primum Eccleſia in vivis et mortuis. Propterea enim, ſicut dicit apoſtolus, *mortuus eſt Chriſtus, ut et vivorum et mortuorum dominetur.* Sed ideo tantummodo martyrum animas commemoravit, quia ipſi præcipue regnant mortui, qui uſque ad mortem pro veritate certaverunt; ſed a parte ad totum etiam cæteros mortuos intelligimus, pertinentes ad Eccleſiam, quod eſt regnum Chriſti." S. Cyprianus de exhortatione martyrii n. 12. in eundem locum Apoc. XX. 4. „Cum primo, ait, in loco poſuiſſet occiſos, addidit dicens: *Et quicunque imaginem beſtiæ non adoraverunt, nec acceperunt inſcriptionem in fronte, aut in manu ſua:* quos univerſos a ſe in eodem loco ſimul viſos coniungit, et dicit: *Et vixerunt, et regnaverunt cum Chriſto.* Vivere omnes dicit, et regnare cum Chriſto, non tantum, qui occiſi fuerint, ſed et quicunque

Caput CXXX.

in fidei ſuæ firmitate et Dei timore perſtantes, imaginem beſtiæ non adoraverint, neque ad funeſta eius et ſacrilega edicta conſenſerint.“ P. Lud. Alcaſar interpres copioſiſſimus, in Apoc. XX. 4. teſtatur, interpretes omnes generatim ſupponere, neminem ſanctorum excipiendum a reſurrectione prima, adeoque ad regnum Chriſti in terris pertinere, de quo alibi tractamus ex inſtituto.

CAPUT CXXX.

UT SEMPER VIGILES SIMUS ET PARATI.

Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, et non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo et vos eſtote parati: quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt. Quis, putas, eſt fidelis ſervus, et prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore? Matth. XXIV. 42. etc.

Ideo incertum nobis eſt tempus adventus Domini.

Huc tandem redit tam ſalutare arcanum, ac ſublime illud, quod pluribus hactenus conſideravimus in reſponſione Chriſti ad

quæſtionem apoſtolorum, quod ſignum eſſet adventus ſui et conſummationis ſæculi, cum eis Chriſtus templi Hieroſolymitani magnificentiam admirantibus et ornatum, prænuntiasset venturos dies, in quibus nec lapis ſuper lapidem relinqueretur, qui non deſtruatur; ſimulque fata populi Judaici in deſolatione urbis Hieroſolymitanæ, ac univerſi generis humani in conſummatione ſæculi, adventuque ſuo ad iudicium commiſcens, ut continuo vigilemus, ſemperque parati eſſemus, nos obſtrinxit. Dum primum dixerat: *Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit*, mox ſubdit: *eſtote parati, quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt*, ad iudicium nempe, quod alibi ſibi ceu Filio hominis a Patre commiſſum dicit: Abutebanturque Ariani loco Marc. XIII. 32. de iudicio, ubi neque filius ſcire diem illum dicitur: „Quia, ut contra Arianos interpretatur locum illum S. Athanaſius, id vobis, omnibusque utile erat. Hæc ſiquidem et de angelis et de filio audire vobis conducit propter futuros impoſtores, ut, ſi ipſi dæmones angeli ſpecie ſimulata, de fine mundi diſſeruerint, eis non credatis, quippe qui illum ignorent. Si item antichriſtus ſe ipſe mentitus dicat: Ego ſum Chriſtus, atque de illo die et fine loqui aggrediatur, ut audientes decipiat, vos meæ

a) *Orat. III. contra Arianos n.* 49. *T. I. p.* 598.

CAPUT CXXX.

huiusce vocis, *neque filius*, memores fidem illi denegetis. Præterea valde utile est finem et diem finis ignorare, ne, si eum cognoscerent, intermedium negligerent tempus, diesque fini proximos exſpectarent, ut tunc ſolum ſibi vacarent, et vigilarent. Quo circa tempus mortis ſingulorum reticuit, ne huiusmodi cognitione inflati homines, maximam temporis partem negligenter agerent etc." S. Augustinus in libro de diversis quæstionibus LXXXIII. quæst. LX. *a)* et passim alibi hanc movet. Enarratione in Psalm. VI. *b)* nonnullos perstringens, qui post ſeptem millia annorum ab Adam, quasi completa hebdomada adventum Christi coniiciunt, allatis ſcripturæ locis, quibus hæc omnibus ignota esse dicuntur, concludens, neminem ſibi computatione aliqua annorum arrogare ſcientiam illius temporis debere: „Si enim, inquit, post ſeptem millia annorum ille dies venturus est, omnis homo potest annis computatis adventum eius addiscere. Ubi erit ergo, quod nec Filius hoc novit? Quod utique ideo dictum est, quia per Filium hominis hoc non discunt, non quod apud se ipse non noverit; ſecundum illam locutionem: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut ſciat*, id est, ſcire faciat vos: Et: *Exurge Domine*, id est, *fac nos exſurgere*. Cum

a) T. VI. p. 33. *b) T. IV. p.* 22.

ergo ita dicatur, neſcire Filius hunc diem, non quod neſciat, ſed quod neſcire faciat eos, quibus hoc non expedit ſcire, id eſt, non eis hoc oſtendat: quid ſibi vult neſcio quæ præſumtio, quæ annis computatis, certiſſimum ſperat post ſeptem annorum millia diem Domini? Nos igitur, quod neſcire nos Dominus voluit, libenter neſciamus.“ Breviter iterum eandem in Pſalm. XXXVI. attingens hanc quæſtionem, Christum hoc se neſcire dixiſſe ait, „quia in magiſterio eius non erat, ut per eum ſciretur a nobis *a*).“ Quod poſtquam confirmaſſet ſimilibus ſcripturæ de Deo ſermonibus anthropologicis, demum concludens, „Quo proficit, inquit, iſte ſermo? ut quoniam diem noviſſimum ſcimus venturum, et utiliter ignoramus quando venturus ſit, utiliter autem ſcimus venturum, paratum cor habeamus bene vivendo.“ S. Hieronymus in h. l. *b*) poſtquam pluribus probaſſet, non ignorare Filium hominis diem illum, in cauſam inquirens, cur ignorare dicatur Chriſtus de quo apoſtolus ſcribit: „*In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, et ſcientiæ abſconditi*: Quare, inquit, abſconditi ſunt? Poſt reſurrectionem interrogatus ab apoſtolis de die iudicii manifeſtius reſpondit: *Non eſt veſtrum ſcire tempora et momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Quando dicit, *non eſt veſtrum ſcire*, oſtendit,

a) *T. IV. p.* 257. *b*) *T. IV. p.* 118.

Caput CXXX. quod ipse ſciat, ſed non expediat noſſe apoſtolis, ut ſemper incerti de adventu iudicis, ſic quoque vivant, quaſi die illa iudicandi ſint. Denique et conſequens Evangelii ſermo idipſum cogit intelligi. Docens quoque Patrem ſolum noſſe, in Patre comprehendit et Filium; omnis enim pater filii nomen est." Quod hoc loco S. Pater de reſurrectione Chriſti notavit, ſunt, qui ita accipiant, ut Chriſto qua Filio hominis indignum non putent, unum hoc Patri fuiſſe reſervatum arcanum; ſed S. Pater ſuæ reſponſioni inhæret paulo poſt in illa verba: „*Vigilate ergo etc.* Perſpicue oſtendit Dominus, quare dixerit: *De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater*, quia non expediat ſcire apoſtolis, ut pendulæ exſpectationis incerto ſemper credant eſſe venturum, quem ignorant, quando venturus ſit. Et non dixit, quia neſcimus, qua hora Dominus venturus ſit, *ſed neſcitis.* Præmiſſoque patrisfamilias exemplo, cur reticeat conſummationis diem, manifeſtius docet dicens: *Vigilate ergo, neſcitis quando Dominus veniat etc.*"

Signa nobis eiuſcemodi Chriſtus in Evangelio præmonſtravit; ex quibus dum aut hæc aut illa nunquam non fiunt, ſemper nos ſuſpenſos et incertos relinquunt,

ut paulo ante ex SS. ſcripturis et constanti SS. PP. traditione vidimus: „Quia, ut S. Gregorius M. paulo ante allatum locum ex epistola ad Edilbertum Angliæ regem concludit *a*), idcirco hæc ſigna de fine ſæculi præmittuntur, ut de animabus nostris debeamus esse ſolliciti, de mortis hora ſuspecti, et venturo iudici in bonis actibus inveniamur esse parati.“ Consultius adeoque est, ut diem illam nesciamus, quæ ab ipso ſalvatore alibi dicitur ventura ſicuti fur; ſed ſubiectæ parabolæ de decem virginibus et de patrefamilias, talenta ſervis distribuente, quæstionem ſolvunt, præmissa veluti clavi in illis verbis: *Quis putas est fidelis ſervus et prudens, quem constituit dominus ſuper familiam?* Certe non otiosum vult, patiturque, non desidiosum, non ſomnolentum, aut dormientem, aut eiusmodi etiam perversum malum ſervum, *qui dixerit in corde ſuo b): Moram facit dominus meus venire: et cœperit percutere conservos ſuos, manducét autem, et bibat cum ebriosis.* Eodemque in argumento apud Lucam monet ſalvator c): *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis huius vitæ: et ſuperveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim ſuper-*

a) *T. II. opp. p.* 1166. *b*) *Matth. XXIV.* 48. *etc.* *c*) *Luc. XXI.* 34. *etc. et XVII.* 26.

CAPUT CXXX.

veniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ .... Et ſicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus Filii hominis etc. His omnibus nihil aliud monetur, quam quod illis psalmistæ verbis: *Declina a malo, et fac bonum*, hoc est oleum, quod virgines prudentes in vasis ſuis habent, hæc ſunt talenta, quæ cum usura repetit dominus, et ſicut ſervum torpentem, qui talentum ſuum in terram abscondit, terrena cœlestibus, transitoria æternis anteponit *a*), damnat, ita duplum lucratum remuneratur, et quomodo: *Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua constituet eum.* Hæc vero, quæ et quanta ſunt? Pigeatne nos, brevi huius vitæ tempore vigilare, quos Deus in æterna vita ſuper omnia bona ſua, ubi ipse bonum ſuper omne bonum, constituet?

a) *Vid. S. Greg. Lib. I. Hom. IX. in Evang.*

CAPUT CXXXI.

SERVUS BONUS ET FIDELIS.

Domine, quinque talenta tradidiſti mihi; ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Matth. XXV. 20.

Caput CXXXI.

Qui duplum ex talentis a Deo acceptis reportat.

Una hæc brevis ſententia omnem œconomiam religionis chriſtianæ complectitur in negotio ſalutis per gratiam Chriſti, quam nobis veluti ad negotiandum committit Deus, ut cum fœnore recipiat; imo recipiamus nos in eo, qui Abrahæ patri fidei noſtræ dixit: *Ego ſum merces tua magna nimis* in vita æterna, quæ in parabola de operariis per denarium ſignificatur, qui ſingulis ſervis conductis in mercedem promittitur, quæ hic pro acceptis talentis diſpar notatur, ſervus autem inutilis in tenebras exteriores mittitur, qui acceptum neglexit talentum. Eſt hoc, quod ſervo nequam exprobravit Dominus: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recipiſſem utique, quod meum eſt, cum uſura. Quod meum eſt*, inquit, ne quis de acceptis talentis, tanquam de ſuis glorietur, dicente apoſtolo a): *Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris,*

a) *I. Cor. IV. 7.*

Caput CXXXI. *quaſi non acceperis?* Et prout poſtea idem de ſeipſo loquitur *a*): *Gratia Dei ſum id, quod ſum, et gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Sic ſervus ille bonus et fidelis (bonus in eo, quod accepit, fidelis in cooperatione) accedens, *Domine*, ait, *quinque talenta tradidiſti mihi*, agnoſcitque, unde acceperit, et reddit, quod ex accepto lucratus eſt duplum. Pari modo Paulus abſque gloriæ propriæ vitio abundantius ſe laboraſſe dicere potuit, veluti quinque acceptis a Deo talentis, præ altero, qui duo acceperat: nempe etiam quod unus quinque, et alter duo lucratus eſt, non ex ſuo, ſed ex eo venit, quod quinque aut duo talenta a Domino acceperint: *Unicuique*, ut in eadem I. Cor. III. 5. epiſtola loquitur apoſtolus, *ſicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit: ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, et qui rigat, unum ſunt.* Ne ſcilicet, qui acceptis quinque talentis totidem ſuperlucratus eſt ſuper eum, qui duo tantum accepit, et duo lucratus eſt, ſeſe extollat, etſi etiam ille præ hoc maiorem mercedem ex lucri proportione, quæ ex talentorum numero commenſuratur, recipiat: *Unusquiſque*

a) *I. Cor. XV.* 10.

autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem a). Quia vero ipſe etiam labor menſuram habet et proportionem ab acceptis talentis ſive gratiæ donis, ſive etiam naturæ facultatibus, quæ diſtinguuntur, dum dicitur paterfamilias diſtribuiſſe *uni quinque talenta, alii duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem,* δύναμιν facultatem accomodatam quibusvis ingenii quoque, aut aliis quibuscunque naturalibus viribus, aut aliis, quæ a Deo auctore naturæ ſunt, perinde ac talenta obtenta ab auctore gratiæ, ut nec de his gloriari poſſit homo, aut ſuperbire, nec de illis, qualeſcunque dotes ſint naturæ ſive corporis ſive animi ſeu ingenii, de quibus ſolent ſe extollere iniuria auctoris naturæ homines, qui æque omnes non niſi aſini, ut ita dicam, inſtar dorſum ſuum ad portandum accommodant, ex ſe, gradu ſolummodo diſpari, ignavi inerteſque ac mali. Sic conciliatur Matthæus, dum in concluſione huius parabolæ v. 30. dicitur: *inutilem ſervum eiicite in tenebras exteriores: ibi erit fletus et ſtridor dentium,* ubi vox ἀχρεῖος inutilis perinde habetur ac apud Lucam XVII. 10. in verbis Chriſti, *cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Apud Matthæum enim agitur

a) *I. Cor. III. 8.*

Caput CXXXII.

de ſervo inerti et desidioso, apud Lucam vero de nobis, qui nos et omnia nostra Deo debemus auctori naturæ et gratiæ, (cui nihil ex quocunque creaturæ officio accedere aut deperire potest) *ut non glorietur omnis caro in conspectu eius*, iuxta apostolum *a*), ut postea dicit *b*): *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

CAPUT CXXXII.

EXTREMUM JUDICIUM.

Cum autem venerit Filius hominis in maiestate ſua, et omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maiestatis ſuæ: et congregabuntur ante eum omnes gentes, et ſeparabit eos ab invicem, ſicut pastor ſegregat oves ab hœdis: et ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hœdos autem a ſinistris. Tunc dicet rex his, qui a dextris eius erunt: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc.* Matth. XXV. 31. etc.

Judæis, et nobis omnibus bonis et malis denunciatum.

Sic conclusit Christus munus ſuum prædicandi Judæis, quasi ad extremum provocando, eisque ob oculos ponendo, iudi-

a) *I. Cor. I.* 29. *b*) *Ib. IV.* 7.

cium; poſtea etiam, dum ductus ad ſynedrium, nihil quidem ad factas contra ſe accuſationes reſpondet, ceu ipſe ſupremus iudex, donec adiuratus *per Deum vivum* a principe ſacerdotum Matth. XXVI. 63. an eſſet *Chriſtus Filius Dei*, aiens hoc, *verumtamen*, addit, *dico vobis: Ammodo videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.* Dum nimirum, ut ſupra Matth. XVI. 27. *venturus eſt in gloria Patris ſui cum angelis ſuis: et tunc reddet unicuique ſecundum opera eius.*

Animadverte porro, quam appoſitus ſit hic ultimus ſermo Chriſti ante paſſionem ſuam, de ultimo iudicio, quo iudicaturus eſt omnes gentes, dum mox ſe iudicandum inimicis ſuis tradidit *a*): *Et factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Verus nimirum agnus paſchalis pro genere humano immolandus. Dicit evangeliſta: *Cum conſummaſſet omnes ſermones hos*, quia nimirum ad rem pertinent etiam præmiſſæ parabolæ, et alia. „Supra Dominus præmiſit, ut in h. l. commentatur D. Thomas *b*), diverſas parabolas pertinentes ad iudicium, hic autem manifeſte de ſuo iudicio agit:“ hæc autem, quæ præ oculis

a) *Matth. XXVI.* 1. *b*) *T. III. p.* 330.

Caput CXXXII. modo ſunt, pertinent ad iudicium credentium fidelium: quia, ut ait Jo. III. *qui non credit, iam iudicatus est.* De fidelibus autem dicitur: *Et tunc reddet unicuique ſecundum opera eius*, per Christi gratiam charitate illa Dei et proximi, in qua universa lex pendet, quævis opera et actiones legi conformes. Dum vero opera beneficentiæ tantum in proximum memorantur non iam ut proximo, ſed Christo atque adeo Deo facta, ſublimitas illa ac divinitas præcepti charitatis declaratur, qua proximum non niſi in Deo unico ſummo bono ac fine ultimo diligimus; atque intimus nexus et communio utriusque dilectionis Dei et proximi ostenditur; ut nec Deus ſine proximo, nec proximus ſine Deo ametur: Sed, iuxta magistrum amoris a), *si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas eius in nobis perfecta est:* dum præceptum mutuæ dilectionis non tantum ſervamus, ut Lev. XIX. 18. habetur: *Diliges amicum tuum ſicut teipsum*, ſed proximum etiam diligimus inimicum iuxta legem evangelicam, eaque de qua Christus perfectione: *Estote*, ait b), *perfecti, ſicut et Pater vester cœlestis perfectus est, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos et malos, et pluit ſuper iustos et iniustos;* quales nos Patri ſuo reconciliatos Christus vocaturus est: *Venite benedicti Patris mei*, ut ex miseratione Pa-

a) *I. Jo. IV.* b) *Matth. V. 48.*

tris, et Filii meritis fiat remuneratio operum, et quidem tantillorum pro æterna gloria in cœlis, quo magis reluceat immenſa Dei benignitas.

Non memorantur niſi opera charitatis fraternæ, ne quid videamur nos ſervi inutiles præſtare operibus noſtris Deo. Dum humiles electi mirantes quærunt: *Quando te vidimus?* iterum immenſa Dei clementia declaratur, ſimulque ordo charitatis etiam fraternæ ad Deum referendæ ceu ex toto corde, et ex totis viribus amandum, in hoc alibi nobis in exemplum propoſitum: *Eſtote miſericordes, ſicut et Pater veſter cœleſtis miſericors eſt a).* Christi vero verba declarant, quod quemadmodum peccata et infirmitates noſtras, ita etiam omnes neceſſitates humanas in ſe ſuſceperit, dum dicit: *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quia nimirum membra illius corporis ſumus, cuius ipſe caput eſt: nec dedignatur, nos fratres compellare, et quæ uni ex his fratribus minimis fecerimus, ſic in acceptis habere, ac ſi ipſimet feciſſemus. Neque vero auxeſin in hoc ſermone cogitare par eſt, quem ſolita ſua aſſeverandi formula, *amen dico vobis*, firmat. Quanto autem hoc nobis ſolatio ſimul ac ſtimulo eſſe debet, ut nihil omnino officii,

a) *Luc. VI.* 36.

Caput CXXXIII.

quantumvis parvum illud ſit, negligamus, cui tantum pretium eſt ſtatutum, perinde ac neglectui tantum piaculum, ut Chriſtus eadem aſſeveratione illis, qui a ſiniſtris ſunt, dicat: *Amen dico vobis: quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Neque hic de iniuriis vel damnis proximo illatis eſt ſermo, ſed de neglectu operum charitatis: *Diſcedite a me, maledicti*, ait, *in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo et angelis eius. Eſurivi enim, et non dediſtis mihi manducare etc.*

CAPUT CXXXIII.

CHRISTUS PASCHA NOSTRUM.

Scitis, quia post biduum Paſcha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, et ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas: et conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, et occiderent. Matth. XXVI. 2. etc.

Immolatus in cruce.

Summa veteris et novi teſtamenti continetur allatis Chriſti verbis, figura ac figuratum, typus et antitypus redemtio generis humani, facta per unigenitum Filium Dei

Patris et virginis matris, ſimulque verum agnum paſchalem, cuius ſanguine in figura olim liberati ſunt ab angelo exterminatore Iſraelitæ, dum una nocte necarentur omnes primogeniti Ægyptiorum usque ad primogenitum regis, et ſic urgerentur etiam, ut exirent de Ægypto, ut habetur Exod. XII. 26. etc. *Cum dixerint vobis filii veſtri: Quæ eſt iſta religio? dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, et domos noſtras liberans.*

Hoc iam inſtabat feſtum poſt biduum, iſtudque Chriſtus denuntians ſuis diſcipulis: *Scitis*, ait, *quia poſt biduum Paſcha fiet*, ſeque ſimul verum agnum Dei, *qui tollit peccata mundi*, a Joanne Baptiſta demonſtratum, fore immolandum aperit: *Et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Rem iam pluribus Chriſtus in itinere ad urbem denunciaverat *a*): *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, et Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum et ſcribis, et condemnabunt eum morte; et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die reſurget.* Jam ergo *tunc congregati ſunt principes ſacerdotum et ſeniores populi, et conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, et occiderent*, verum nimirum agnum paſchalem, quem ſemet poſt

a) *Matth. XX.* 18. *etc.*

Caput CXXXIII. biduum immolandum diſcipulis ſuis denuntiat. Traditus eſt autem a Juda proditore Judæis, qui condemnaverunt eum in conſilio ſuo ad mortem; ab his autem, cum eis non liceret interficere quemquam, tradebatur *Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum. Quærebant* quidem, ut etiam apud Marc. XIV. 1. legitur, *ſummi ſacerdotes et ſcribæ, quomodo eum dolo tenerent, et occiderent*, per inſidias nimirum proditorie et occulte: ſed oportebat eum, qui pro redemtione mundi mortem oppetiturus erat, palam et in conſpectu omnium elevatum a terra in cruce mori, extenſis, ut omnia ad ſe traheret, brachiis.

Studioſe quidem in ſuo conſilio caverant, *non in die feſto* fieri hoc; ſed erat Chriſtus verus agnus in præcipuo feſti paſchalis die occidendus iuxta Danielis prophetiam: idque contra ac conſilium et rationem inierant Judæi, ut ſupra vidimus, factum eſt: *Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus* ſemel in cruce, qui quotidie offerendum ſe præbet in altari: quod incruentum ſacrificium, antequam ipſe ſe cruentam hoſtiam offerret Chriſtus in cruce, in ultima cœna inſtituit, præcipiens apoſtolis, fieri hoc in ſui commemorationem, immolati nimirum in cruce. Oportebat enim, ut rem iam ſupra de concilia-

bulo principum ſacerdotum et ſeniorum populi ex S. Leone P. declaravimus, et mox amplius ediſſeremus a): „Ut ovem ſignificativam ovis vera removeret, et ut uno expleretur ſacrificio variarum differentia victimarum. Ut ergo umbræ cederent corpori, et ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſervantia novo excluditur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, et legalis feſtivitas, dum mutatur, impletur. Diſcumbentibus enim diſcipulis ad edendam myſticam cœnam, cum in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Chriſtus poſſet occidi, ille corporis et ſanguinis ſui ordinans ſacramentum, docebat, qualis Deo hoſtia deberet offerri. “

Caput CXXXIII.

a) *Serm. VII. de paſſ. D. c. 1.*

Caput CXXXIV.

CAPUT CXXXIV.

CHRISTUS IN FINEM DILEXIT SUOS.

Ante diem festum Paschæ ſciens Jesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: *Cum dilexiſset ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Jo. XIII. 1. etc.

Hic in Eucharistia et in æternum.

Interpretes, cum apud S. Joannem nihil de institutione ſacræ Eucharistiæ legatur, id quod hic dicit de Christo, ipsum nimirum ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexisse, de hoc præcipuo amoris monumento, quod ſuis in ſacratissimo altaris ſacramento reliquit, interpretantur. Quod utique ſic accipiendum est, ut incruentum hoc ac iuge ſacrificium non ſolum a cruento, quod Christus iam Patri cœlesti oblaturus erat in cruce, non ſeparetur, quin etiam cœna illa magna ſimul comprehendatur, quam ſuis post hanc vitam in cœlis paravit; Sic enim perfecte intelligitur, quomodo Christus ſuos, qui erant in mundo, dilexerit in finem; qui amor utique nullos limites fert, ſive extensive ſive intensive accipiatur. Hoc nobis demonstravit, dum pro nobis in cruce mortuus est; etenim *maiorem charitatem nemo habet, quam ut ani-*

mam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: fecit verò hoc pro inimicis nobis et peccatoribus, qui *pro impiis mortuus est. Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus ſecundum tempus Christus pro nobis mortuus est a)*; quo ſane nullus intensior potest charitatis gradus cogitari. Ut autem extensive ſit ſummus, ſine careat necesse est, ut adeo Christus ſuos, qui ſunt in hoc mundo, in finem dilexisse dicendus ſit ſine fine. Cuius quidem dilectionis ſummæ argumentum præbuit, quando in cruce mortuus pro nobis ſacrificium se obtulit, cuius cruenti ſacrificii memoriale perpetuum in incruento ſacrificio reliquit, quod in ultima cœna tunc instituit: quo ad immortalitatem nutrimur in hac vita, ac viaticum in vitam æternam accipimus, veste nuptiali ad cœnam illam magnam ornati, ad quam nos cœlestis paterfamilias invitare dignatus est, ſine fine participandam.

Sic Christus ſciens, quia venit hora eius, ut transeat ad Patrem, cruento et incruento ſacrificio dilectionis ſuæ monumentum ſuis relinquens, in finem dilexit eos, hocque amoris ſensu Luc. XXII. 15.

a) *Rom. V. 6. etc.*

CAPUT CXXXIV.

Deſiderio, ait, *deſideravi, hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Loquitur de paſchate, quod veteri ſuccedebat, quodque ipſe cibus et conviva cum ſuis manducaret in regno Dei præſentis temporis Eccleſia, et gloria cœleſti, fruentibus ea electis in corpore ac anima poſt futuram reſurrectionem: quam quidem beatam ſortem SS. Patres etiam fructum participationis corporis et ſanguinis Domini faciebant. Argumentum hoc inſtaurans S. Irenæus contra eos, qui Chriſtum verum humanum corpus aſſumpſiſſe negabant: „Quando, inquit *a*), et mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, et fit Euchariſtia ſanguinis et corporis Chriſti, ex quibus augetur, et conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia: quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, quæ eſt vita æterna, quæ ſanguine et corpore Chriſti nutritur, et membrum eius eſt? Quemadmodum et beatus apoſtolus ait, in ea quæ eſt ad Epheſios epiſtola: *Quoniam membra ſumus corporis eius, et de carne eius, et de oſſibus eius:* non de ſpiritali aliquo, et inviſibili homine dicens hæc: ſpiritus enim neque oſſa, neque carnes habet; ſed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundum verum hominem, quæ ex carnibus, et ner-

a) *Lib. V. contra Hæres. cap. II. n. 3. p. 294.*

vis, et oſsibus conſiſtit: quæ de calice, qui eſt ſanguis eius, nutritur, et de pane, quod eſt corpus eius, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depoſitum in terram ſuo fructificat tempore, et granum tritici, decidens in terram et diſſolutum, multiplex ſurgit per ſpiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam in uſum hominis veniunt, et percipientia verbum Dei Euchariſtia fiunt, quod eſt corpus et ſanguis Chriſti: ſic et noſtra corpora ex ea nutrita, et repoſita in terram, et reſoluta in ea reſurgent ſuo tempore.“ Eſt hoc thema ſublimis illius theologiæ Euchariſticæ, quam ediſſerit S. Greg. Niſsænus in oratione catechetica cap. 37. ſic eam concludens *a*): „Verbum propterea ſe admiſcuit interitui obnoxiæ hominum naturæ, ut communione divinitatis ſimul etiam deificetur humanitas: ea de cauſa per ſuæ gratiæ diſpenſationem ſe per carnem inſerit omnibus credentibus, commixtus, et contemperatus corporibus credentium, quibus ſubſtantia eſt ex pane et vino, ut unione cum eo, quod eſt immortale, ſit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat virtute benedictionis in illud tranſelementata eorum quæ apparent natura.“

a) *T. III. p.* 105.

Caput CXXXV.

CAPUT CXXXV.

CHRISTUS LAVAT DISCIPULORUM PEDES.

Cœna facta, cum iam diabolus misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit: ſurgit a cœna, et ponit vestimenta ſua: et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus.* Jo. XIII. 2. etc.

Humilians ſemetipſum.

S. Joannes evangelista ſemper ſibi ſimilis, omnes veluti cœlos transvolans aquila, ſicut in exordio ſui Evangelii pluribus nobis divinam Verbi incarnati generationem, ac deinceps etiam de Patre, Filio et Spiritu ſancto ſublimissima mysteria pandit; tanto altius ad mortem usque humiliantis ſemetipsum et exinanientis Filii Dei mysterium evehit et gloriam eius extollit, quam vidimus gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis; quod et hic iterum ſingulari demonstravit modo. Enarraturus enim nobis evangelista maximum humilitatis Christi exemplum ad pedes discipulorum ſuorum, maximum præmittit

mysterium incarnationis unigeniti Filii Dei, divinam pandens Evangelii Christi œconomiam, ut eo amplius miremur, ſummum humilitatis actum, quo Christus discipulorum pedes lavit: cuius tam ſtudioſe ſingulas circumſtantias humiliantis ſe exponit, ut tanto altius extollat, quo maiora myſteria in ſuo ſermone coniungit: ac imprimis quomodo, cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, de qua dilectione alibi dicit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret:* Quod myſterium iterum hic paucis attingit, et cum ipſa lotione pedum ita quodammodo, ut in principio Evangelii generationem divinam cum humana, copulat: *Sciens*, inquit, *quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit: ſurgit a cœna, et ponit veſtimenta ſua: et cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe, deinde mittit aquam in pelvim etc.* „Quid autem, ait S. Auguſtinus *a)*, mirum, ſi ſurrexit a cœna, et poſuit veſtimenta ſua, *qui cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit?* Et quid mirum, ſi præcinxit ſe linteo, qui *formam ſervi accipiens, habitu inventus eſt ut homo?* quid mirum, ſi miſit aquam in pelvim, unde lavaret pedes diſcipulorum, qui in terram ſanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum etc.“

a) Tract. LV. in Jo. T. III. P. II. p. 655.

Caput CXXXV.

O ſelices et ter beatos apoſtolos, qui poſt lotionem pedum ſe mundos eſſe audire meruerunt a Chriſto dicente ad Petrum *a)*: *Qui lotus eſt* (uti iam erant pro more nimirum veterum ante convivium, Judæorum ſingulariter ante accubitum, faciem, manusque lavandi) *non indiget*, *niſi ut pedes lavet*, viatorum more, quales apoſtoli futuri erant, ituri in univerſum mundum prædicare Evangelium. Exclamare hic cum apoſtolo licet et prophetis *b)*: *Sicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Nimirum: *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum: per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis:* prout nobis per Zachariam præcurſoris Domini patrem Luc. I. 76. etc. denunciata eſt Evangelii præconiſatio, qua facta, quisque cum Pſ. CXVIII. 105. dicat: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen ſemitis meis*, rogando cum eodem Pſ. XVI. 5. Deum: *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.* Dum nempe cum eodem Pſ. XXV. 12. ſecurus quisque in Eccleſia canit: *Pes meus ſtetit in directo, in eccleſiis benedicam te Domine.*

a) Jo. XIII. 10. *b) Rom. X.* 15.

Præceptum fuit in veteri testamento, agnum pascalem *tenentes baculos in manibus a)* comedere feſtinanter: cuius loco in præcinctu erant apoſtoli novum celebrare paſcha, ſuſcipere verum agnum paſcalem, quem præcurſor demonſtrans *Ecce*, ait *b)*, *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, proxime immolandum in cruce, iamiam vero comedendum ac veluti prægustandum in cœna ab apoſtolis mundis ea lotione, qua qui lotus eſt, teſtimonio Chriſti *eſt mundus totus:* quave præparatione opus eſt ad immaculatum agnum, ipſum Chriſtum Dominum Verbum divinum incarnatum guſtandum. *Et vos mundi eſtis*, ait, *ſed non omnes. Sciebat enim, quinam eſſet qui traderet eum: propterea dixit: Non eſtis mundi omnes.* Terribile nobis peccatoribus dictum! unde et tremenda menſa cœna dominica dicitur, de qua nos cautos reddit apoſtolus *c)*: *Probet autem ſeipſum homo: et ſic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium ſibi manducat, et bibit, non diiudicans corpus Domini*, ab aliis ſcilicet cibis, invicto argumento, Chriſti corpus et ſanguinem vere et proprie adeſſe, ac ſummi in ſacramento, atque in Chriſti agni paſchalis pro nobis immolati memoriam offerri, de quo iam ſumus tractaturi.

Caput CXXXV.

a) Ex. XII. 11. b) Jo. I. 29. c) I. Cor. XI. 28.

Caput CXXXVI.

CAPUT CXXXVI.

INSTITUTIO SACRIFICII NOVI TESTAMENTI.

Desiderio desideravi, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos: Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: *Hic est calix novum testamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Luc. XXII. 15. etc.

Pascha novum, et oblatio iuxta Malachiam prophetam.

An Christus agnum paschalem ea comederit nocte, cum ſecundum S. Joannem primum pascha proxima die esset celebrandum, qua ipse Christus fuit immolatus pascha nostrum, ex evangelistis non colligitur. Qua de re quidquid ſit, quod pascha legale V. T. attinet: *cum pascha nostrum immolatus ſit Christus* in cruce; de

Caput CXXXVI.

eſſentia autem paſchatis ſit comedere agnum, paſcha utique, quod tantopere deſideravit manducare cum diſcipulis ſuis, non eſt niſi cœna in qua ſacramentum, ſacrificiumque corporis et ſanguinis ſui inſtituit. Certe tanto deſiderio ferri erga vetus paſcha, quod iam ceu nuda figura ceſſare debebat, non potuit, quale ſuis verbis Chriſtus exprimit: *Deſiderio deſideravi, hoc paſcha manducare vobiſcum.* Neque etiam verba illa *antequam patiar* intelligere hæc ſinunt, de illo, quo *paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus* in paſſione et morte ſua mactandus verus agnus paſchalis, qui se iam in cœna dederat manducandum diſcipulis ſuis. Quid enim aliud grande illud eſſe potuerat, quod tanto deſiderio deſideraſſet, niſi quod ipſe in cœna fecit corporis et ſanguinis ſui convivium? „Quo vehementius, ſunt verba S. Auguſtini *a*), commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus et memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſſionem digreſſurus erat.“ Dum nimirum paſcha noſtrum iam immolandus erat Chriſtus, ſeque hoſtiam Patri oblaturus in cruce cruentum ſacrificium, ipſe in ſui commemorationem novum inſtituit incruentum, reiecto veteri ſubſtituens novum teſtamentum: *Hic eſt enim*, ait *b*), *ſanguis meus novi*

a) *Epiſt.* 54. *c.* 6. *T. II. p.* 127. *b*) *Matth. XXVI.* 28.

teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, ceſſantibus iam oblationibus et ſacrificiis (quibus nunquam ulla caruit religio) cæteris omnibus, prout hæc prænuntiata ſunt a propheta ultimo veteris teſtamenti Malach. I. 10. etc. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non accipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis usque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus: et in omni loco ſacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Locum hunc S. Juſtinus M. in dialogo Triphoni Judæo ob oculos ponit *a*), quo in locum ſacrificiorum ipſo ſanguine brutorum et aliarum eiuſcemodi rerum ſordeſcentium oblatio munda in gentibus offerenda dicitur, ac ſacrificanda. „De iis autem, ſubdit S. martyr allato Malachiæ loco, quæ ipſi in omni loco a nobis gentibus offeruntur ſacrificiis, id eſt, de pane Euchariſtiæ, et de calice ſimiliter Euchariſtiæ, iam tum prædicit, illud etiam addens, nomen ſuum a nobis glorificari, a vobis autem prophanari.“ Locum parallelum in eandem Malachiæ prophetiam paulo poſt ex S. Irenæo afferemus.

Sacrificium corporis et ſanguinis Chriſti in altari.

Cum primum Chriſtus ſe in cruce obtulit ſacrificium, prophanabantur ſacrificia

a) *Num.* 41.

veteris testamenti, quæ erant huius ſacri- Caput
ficii in cruce figuræ, iam iuxta apoſtolum CXXXVI.
inania elementa. Quid vero amplius hic foret, si ſub elementis panis et vini non lateret veritas corporis et ſanguinis Christi iuxta tam apertum effatum Christi? „Cum, ut verbis S. Justini utar *a*), per alimoniam ſuam ſiccam ſimul et liquidam passionis illius, quam propter eos (christianos) Filius Dei passus est, recordationem faciunt.“ Quid clarius dici queat de incruenti illius ſacrificii celebratione, quam idem S. martyr in apologia II. ſingillatim deſcribit. Plura ex S. Justino alibi recenſuimus, poſſetque integra SS. Patrum ſeries afferri *b*), qui memoratum Malachiæ locum huc interpretantur; ex quibus est S. Irenæus inter primos et præcipuos, ex quo afferemus locum ex veteri Msc. nuper in lucem inter alia prolatum in noviſſima S. Irenæi editione a Christophoro Pfaffio Lutherano, quibus Zwingliani et Calvinistæ merito exprobrant, ſtatuta reali præſentia in Eucharistia ſequi etiam oblationem fieri ſeu ſacrificium. Sam. Jebb porro anglus in tertio opp. S. Justini volumine oſtendit *c*), apoſtolos et omnes fere Eccleſiæ Patres Eucharistiam pro novi testamenti ſacrificio habuiſſe. Ernestus Grabius itidem anglus in notis ad

a) *Ibid. n.* 117. *b*) *Principia theolog. liturg. C. I.* *c*) *Pag.* 215.

Caput CXXXVI. S. Irenæi lib. IV. c. 32. in edit. Mauriana c. 17. Euchariſtiam proprium ſacrificium nominat, allatis veterum et recentiorum ſuper hac re iudiciis, atque etiam ſubſcribit Jo. Medi et aliorum Anglorum voto de reſtituendo hoc N. T. ſacrificio. Itaque S. Irenæus martyr in memorato a Pfaffio edito fragmento II. post allatum inter alia Malachiæ locum: „Hæ oblationes, ait, non ſecundum legem ſunt, cuius chirographum delens Dominus e medio ſuſtulit, ſed ſecundum ſpiritum: nam in ſpiritu et veritate oportet adorare Dominum. Quapropter oblatio Euchariſtiæ etiam non carnalis, ſed ſpiritualis est, et in hoc munda." Qualem nimirum a ſolis ortu usque ad occaſum in gentibus fore offerendam prædixit Malachias; illam autem hic id eſſe dicit S. Irenæus, quod Chriſtus mulieri Samaritanæ denuntiaverat veniſſe horam, *quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolyma adorabitis Patrem a)*: ubi utique de ſacrificio res est, quocirca Samaritanis cum Judæis erat ſchisma, illis in monte Garizim offerentibns, quod dicebant Judæi in Hieroſolymis tantum faciendum eſſe; recte id quidem; ipſius Chriſti effato: *quia ſalus ex Judæis*, ex ſalvatore nimirum Chriſto Jeſu, qui pro nobis ſe victimam in cruce Deo Patri obtulit: atque hinc ceſſante typico V. T.

a) *Jo. IV.* 21.

cultu in brutis victimis ſucceſſit novus, quem Chriſtus in ſui commemorationem inſtituit: non utique in nudis panis et vini ſymbolis, ſecundum egenas V. T. figuras et umbras eo ſolum diſcrimine, quod veteres eſſent ſigna futurorum in pane et vino etiam iam tunc quidem, ſed præterea aliis, atque aliis ante legem et ſub lege ſignis multo expreſſioribus, adeoque ſecundum naturam figuræ et commemorationis, ſignificantioribus in deſtructione ipſa victimæ. Quod vero fiat hic commemoratio rei iam præteritæ, id ad perfectionem ſacrificii plus non conferret, deſtrueret autem naturam N. T. quæ eſt, ceſſante umbra, in ſpiritu et veritate *a*): *Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus: et eos, qui adorant eum, in ſpiritu et veritate oportet adorare.* Quod utique ſacramentaliter non carnaliter fit, quando Chriſtus ſuper altari revera ſiſtitur, atque hoſtiam se Deo eandem ac in cruce offert, iuxta ſacræ inſtitutionis verba, quæ leguntur Matth. XXVI. 26. etc. eademque Marc. XIV. 22. etc. et quod oblationem attinet, ſignificantius adhuc Luc. XXII. 19., perinde ac apud D. Paulum I. Cor. XI. 24. etc.: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem . . . Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro vobis*

Caput CXXXVI.

a) *Jo. IV.* 23.

Caput CXXXVI. *effundetur. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Verba hæc *ſpiritus et vita ſunt*, non Capharnaitice ſumenda; ſed prout dicit apoſtolus *a*): *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale:* id eſt, iuxta S. Juſtinum mox laudatum non carnalis ſed ſpiritualis, uti S. Athenagoræ dicitur in apologia incruentum ſacrificium, λογικὴ λατρεία cultus rationalis: „Nec, ut habet antiquiſſimæ liturgiæ Romanæ, quæ S. Leonis nomine edita eſt, oratio, irrationabilium cruor effunditur animantum, ſed ſancti Spiritus operante virtute ſacrificium iam noſtrum corpus et ſanguis ipſius eſt ſacerdotis:" quo ſub ſpeciebus panis et vini unice iuxta ordinem Melchiſedech Deo digna oblatio fit; dum offerimus in ſpiritu et veritate Deum Deo, quæ ſola condigna Deo poteſt eſſe hoſtia ac cultus Θεοπρεπὴς in ſacrificio N. T. in quo Chriſtus ſimul offerens eſt et oblatio, *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, ut pſalm. CIX. dicitur, quem ipſe de ſe Chriſtus interpretatur *b*). „Sacrificium iam noſtri temporis corpus et ſanguis eſt ipſius ſacerdotis. De illo quippe tanto ante prædictum eſt in pſalmis: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, ut ait S. Auguſtinus Serm. III. inter nunc primum ex membranis bibl. Cæs. Vindobonenſis

Deo digna hoſtia, ac cultus.

a) *I. Cor. XV.* 44. *b*) *Matth. XXII.* 41. *etc.*

editos a P. Mich. Denis primo eius bibliothecæ cuſtode, c. I. p. 10. Sacerdotem autem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe Christus non exhibuit in cruce, ſed in ultima cœna, quando panem et vinum corpus et ſanguinem fecit ſuum: idque, dum facere in ſuam commemorationem præcepit, prout fit, fietque ſemper mortem Domini annuntiando in ſacramento altaris *donec veniat* in conſummatione ſæculi, ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech demonſtratur, *appellatus a Deo*, iuxta apostolum *a*), *pontifex iuxta ordinem Melchiſedech. De quo nobis grandis ſermo et interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.* Aperuit autem, ut modo innuimus, mox amplius explicaturi, fidelibus Corinthiis; Hebræis vacillantibus adhuc ad hoc myſterium imbecillibus.

Quid mirum, ſi inperceptibile ac ineffabile hoc myſterium ſibi ſuffeni irrideant, qui nil niſi quod ſenſibus percipiunt, aut imbecilla ratione aſſequuntur, in animum ſibi inducunt, iam non credendum. „Quot ſunt, qui modo dicunt, ſunt verba S. Jo. Chryſostomi *b*), vellem eius formam, typum, veſtimenta, calceamenta videre? Ecce illum vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Et tu quidem veſtimenta videre

a) *Hebr. V.* 10. *b*) *Hom. LXXXII. in Matth. n.* 4.

Caput CXXXVI.

cupis; ipse vero se ipsum tibi dat, non videndum modo, ſed tangendum, comedendum, intus accipiendum.“ At hoc ipſum est, quod irreligiosos nostri ævi quam maxime offendit, atque ab illis magis ſacramentum hoc blasphematur, quam ipsum incarnationis mysterium. Magnus ille ore hominum, qui unicus dici iam passim ſolet, Fridericus Borussiæ rex, quique vulgatis ſuis operibus multo maiorem ſtragem animarum post mortem, quam vivus corporum editurus, nisi nimis cum ſuis consortibus desiperet, videbatur, minus indignatur temporibus fabulosis, quæ ingentem numinum multitudinem protulerunt, quam philosophicis illis, quibus homines, ut et Deum colerent crucis ſupplicio affectum, et eum qui se vorandum, ut blasphemat, dare voluit, ſibi persuadere potuerint. Sed enim *en populus ſapiens, et intelligens, gens magna a*), christianorum ſcilicet, quæ orbem replet, profitetur incunctanter Deum, qui indutus hominem dignam se in cruce Deo obtulit hostiam, reliquisse ſemetipsum in altari unice Deo dignum offerendum ſacrificium ad unice dignum eidem exhibendum cultum, quod fieri nulla re creata poterat *b*): *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Non

a) *Deut. IV.* 6. *b*) *Ib. vers.* 7.

aliter dicere hoc potuit Moyses de cære- moniis veteris testamenti quam quod essent figuræ novi, quod ſanguine divini agni est dedicatum, *etenim pascha nostrum immolatus est Christus*, immolatusque quotidie in altari comeditur verus agnus paschalis: „Qui se ipsum tibi dat non videndum modo, ſed tangendum, comedendum, intus accipien- dum.“ Cuinam persuaso de veritate, di- vinitateque utriusque testamenti V. et N. paradoxum videatur, ut figuræ tam per- fecte respondeat figuratum? Agnus nimi- rum, *qui occisus est ab origine mundi a)* et usque ad finem mundi immolabitur ſacrifi- cio incruento, cultuque latreutico vere et omnimode divino per Jesum Christum uni- genitum Filium Dei Verbum incarnatum, qui est agnus Dei verus, cuique in altari immolato ſimul cum Patre et Spiritu ſancto offertur in Trinitate perfecta ſacrificium.

Caput CXXXVI.

Demonstratur hinc non potuisse Deum ſibi hunc non reddere Deo vero unice condignum per Deum verum, legitimum cultum, debitamque iustitiam. Non potest non Deus omnia facere propter ſemetipsum. Sicut ergo divinæ iustitiæ ſatisfecit ſacrifi- cando se pro nobis ſemel in cruce; ita maiestati ſuæ condignus cultus redditur per eundem Filium ſuum, relinquentem se in

a) *Apoc. XI.* 15.

iuge ſacrificium in Euchariſtiâ: illic ſacrificio cruento oblatus pro peccatis noſtris, hic per idem ſacrificium incruentum ſatisfacit cultu perpetuo λατρεία perfecta. Illic paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus abolito veteri, et inſtituto novo in ſui commemorationem, prout apud evangeliſtam Lucam legitur: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem:* uti etiam apud Paulum habetur *a*): ubi vocem græcam κλώμενον *quod pro vobis frangitur*, vulgatus vertit, *tradetur*, cum in præſenti ſit perinde ac apud Lucam *datur* διδόμενον, et apud omnes tres evangeliſtas, qui de inſtitutione Euchariſtiæ in cœna agunt (S. Joannes autem rem iam cap. VI. anticipaverat) vox ἐκχυνόμενον de calice ſanguinis: *Hic eſt enim*, ut Matthæus et Marcus apud vulgatum interpretem habent *b*), *ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum;* Lucas vero: *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur*, ſeu effunditur, ἐκχυνόμενον: quod utrique convenit calici ſanguinis euchariſtici, et in cruce effundendi: quippe cum idem ſanguis, qui poſtea effundendus erat in cruce, iam etiam hic contineretur in calice, eſſetque in commemorationem ſacrificii cruenti

a) *I. Cor. XI.* 24. *b*) *Matth. XXVI.* 28. *et Marc. XIV.* 23.

in cruce deinceps offerendus quotidie in altari: quæ verba *in meam commemorationem* D. Paulus ad conſecrationem calicis repetens mox ſubdit *a*): *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, iugi nimirum usque ad conſummationem ſæculi ſacrificio novi teſtamenti in Chriſti ſanguine: quemadmodum apud Paulum perinde ac apud tres evangeliſtas dicitur novum teſtamentum in effuſo Chriſti ſanguine pro nobis in cruce mortui: *Qui*, ut idem rem explicatiſsimam alibi reddit apoſtolus *b*), *per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi? Et ideo novi teſtamenti mediator eſt: ut morte intercedente, in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento repromiſsionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis. Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt.* Notandum vero quod Matthæus et Marcus in verbis inſtitutionis habeant *ſanguis meus novi teſtamenti*; Lucas vero et Paulus: *Calix novum teſtamentum in meo ſanguine:* quibus verbis expreſsius tum veritas ſanguinis Chriſti in calice, cum etiam teſtamenti ratio explica-

CAPUT CXXXVI.

a) *I. Cor. XI. 26.* b) *Hebr. IX. 14.*

Caput CXXXVI. tur, iuxta iam allatam ab apoſtolo declarationem mortem Domini annuntiari, dum paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, iuxta eundem apoſtolum et evangeliſtas, in ipſa cœna, nec S. Joanne abludente: qui cum omnia præter anticipatam iam de Euchariſtia doctrinam, enarraturus eſſet quæ cœnam illam, in qua is ſuper pectus Domini recubuerat, antecedebant, comitabantur, et ſequebantur, ſingula tamen *ante diem paſchæ* legalem acta fuiſſe commemorat.

Sacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech.

Cæteri vero evangeliſtæ postquam ea, quæ Chriſtus iuſſerat de parando paſchate, edixerant, deinceps quid Chriſtus inſtituerit, et fecerit, narrant. Myſterium hoc Patrum concilii œcumenici Tridentini verbis potius quam meis explicare intereſt *a*): „Quoniam ſub priori teſtamento, teſte apoſtolo Paulo, propter levitici ſacerdotii imbecillitatem conſummatio non erat: oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, ſacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere D. N. Jeſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi eſſent, conſummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus ac Dominus noſter, etſi ſemel ſe ipſum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemtionem operaretur, quia tamen per

a) *Seſſ. XXII. c.* 1.

mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna noviſſima qua nocte tradebatur, ut dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur, eiusque memoria in finem usque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus et ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit, per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti ſemper catholica Eccleſia intellexit, et docuit." Breviter hæc S. Hieronymus in Matth. XXVI. 26. his verbis expreſſit. „Aſſumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum paschæ transgreditur ſacramentum: ut quomodo, præfiguratione eius, Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem et vinum obtulit, ipſe quoque veritatem ſui corporis et ſanguinis repræſentaret." Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem

Caput CXXXVI.

CAPUT CXXXVI. Melchiſedech ſubſtitutum Aaronico D. Paulus in epiſtola ad Hebræos explicat; quomodo autem ipse a Domino, ſicut cæteri apoſtoli in hac cœna, acceperit, et aliis tradiderit in Eccleſia futurum iuge ſacrificium, I. Cor. XI. 23. etc. exponit: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit: Accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo ſanguine. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Quid clarius dici potuit ad explicandum hoc perenne, et incruentum in Eccleſia ſacrificium in commemorationem cruenti illius in cruce, dum hic idem corpus esse dicitur, quod pro nobis datum est, idem ſanguis, qui pro nobis effuſus est, novum testamentum in Christi ſanguine, *qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hoc in ſacrificiis veteris testamenti præfiguratum commemorat apoſtolus Hebr. IX. ex Moyſe Exod. XXIV. 8.: *Hic ſanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*, ſubdens, ſine ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem. Et ſupra

de Chriſto, novoque Teſtamento, eius ſanguine dedicato: *Et ideo*, ait *a*), *novi teſtamenti mediator eſt: ut morte intercedente, in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſsionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* S. Joannes evangeliſta, qui inſtitutionem incruenti ſacrificii non commemorat, capite ſexto evangelii neceſsitatem fructumque manducandi corpus et bibendi ſanguinem, ut ſupra vidimus, omnium ampliſſime verbis Chriſti proponit.

Caput CXXXVI.

S. Joanne apoſtolo ultimo apoſtolorum mortuo, haud pridem S. Juſtinus in apologia ad Antoninum pium Imp. ritum explicat, quo in Eccleſia celebrari continuatum eſt hoc iuge ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech, nequaquam celans, quid de pane illo et vino teneant chriſtiani. „Neque enim, inquit *b*), ut communem panem, neque ut communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per ſe Dei Verbum carofactus Jeſus Salvator noſter, et carnem et ſanguinem habuit noſtræ ſalutis cauſa; ita etiam illam, in qua per precem verba ipſius continentem gratiæ actæ ſunt, alimoniam, ex qua ſanguis et carnes noſtræ per mutationem aluntur, incarnati illius

a) *Hebr. IX.* 15. *b*) *Apol. I. n.* 66. *p.* 83.

Caput CXXXVI. Jesu, et carnem et ſanguinem esse edocti ſumus. Nam apostoli in commentariis ſuis, quæ evangelia vocantur, ſic ſibi mandatum esse tradiderunt: Jesum accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem: Hoc est corpus meum:* Similiter accepto calice, cum gratias egisset, dixisse: *Hic est ſanguis meus.*" Cum in ore duorum aut trium ſtet omne verbum, S. Justino martyri, qui Gentilibus rationem ſacrificii Christiani exposuit, tres alios iungamus martyres Irenæum, Ignatium et Cyprianum, qui epist. 63. ad Cæcilium, in ſacerdote Melchisedech ſacrificii dominici ſacramentum præfiguratum explicat iuxta psalmistam: *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchisedech*, cuius præstantiam præ ſacerdotio Aaronico iam S. Paulus Hebr. VII. ostendit, hincque argumentatus S. Cyprianus: „Quod autem, inquit, Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus ſanctus ex persona Patris ad Filium dicens: *Ante luciferum genui te. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchisedech.* Qui utique ordo hic est de ſacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam qui magis ſacerdos Dei ſummi, quam Dominus noster Jesus Christus? Qui ſacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit

hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem et vinum, ſuum ſcilicet corpus et ſanguinem." De eo autem, quod idem faciendum, hoc eſt ſacrificandum in ſui commemorationem voluit, atque adeo ſacerdos in æternum iuxta ordinem Melchiſedech hoc ſacrificium inſtituit, idem ep. 63. „Nam, inquit, ſi Jeſus Chriſtus Dominus et Deus noſter, ipſe et ſummus ſacerdos Dei Patris, et ſacrificium Patri ſe ipſum primus obtulit, et hoc fieri in ſui commemorationem præcepit: utique ille ſacerdos vice Chriſti vere fungitur, qui id, quod Chriſtus fecit, imitatur."

Caput CXXXVI.

Eſt hoc idem quod S. Clemens, cuius apoſtolus meminit Phil. IV. 3. fuitque D. Petri in cathedra Romana poſt Linum et Cletum ſucceſſor, dicit, epiſt. I. ad Corinthios n. 40.: „Ubi etiam et a quibus celebrari vult, ipſe excelſiſſima ſua voluntate definivit, ut pure et ſancte omnia facta in beneplacito accepta eſſent voluntati eius. Qui ergo aſſignatis temporibus oblationes ſuas faciunt, accepti, et beati ſunt: nam qui ſequuntur leges Domini, non aberrant. Summo quippe ſacerdoti ſua munia tributa ſunt, et ſacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt, et levitis ſua miniſteria incumbunt, homo laicus præceptis laicis conſtringitur." Sacerdotes autem ad ſacrificandum ſunt inſtituti etiam in novo teſtamento eo

Caput CXXXVI.

discrimine, quod tam luculenter D. Paulus in epistola ad Hebræos ſecundum ordinem Aaron in veteri, et ſecundum ordinem Melchisedech in N. T. declarat.

Idem S. Irenæus agit contra Judæos et hæreticos, docens quomodo Christus veteribus ſacrificiis novum ſubstituens *a*): „Eum, qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens: *Hoc est meum corpus.* Et calicem ſimiliter, qui est ex ea creatura, quæ est ſecundum nos, ſuum ſanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem: quam Ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo.“ Affert postea ex Malachia I. 10. 11. prophetarum duodecim ultimo locum, quo repudiato veteri ſacrificio novum prædicitur offerendum inter Gentes in omni loco *purum*, de quo deinceps agens capite ſequenti: „Non genus, inquit *b*), oblationum reprobatum est; oblationes enim et illic, oblationes autem et hic: ſacrificia in populo, ſacrificia in Ecclesia, ſed ſpecies immutata est tantum, quippe cum iam non a ſervis, ſed a liberis offeratur.“ Et postea *c*): „Oportet enim nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in ſententia pura, et fide

a) *Lib. IV. contra Hæres.* c. 17. n. 5. p. 249.
b) *Num.* 2. p. 250. *c*) *Num.* 4. p. 251.

ſine hypocriſi, in ſpe firma, et dilectione ferventi, primitias earum, quæ ſunt eius, creaturatum offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia ſola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Judæi autem non offerunt: manus enim eorum ſanguine plenæ ſunt; non enim receperunt Verbum, quod offertur Deo; ſed neque omnes hæreticorum ſynagogæ. Alii enim alterum præter fabricatorem dicentes Patrem, ea, quæ ſecundum nos creata ſunt, offerentes ei, cupidum alieni oſtendunt eum, et aliena concupiſcentem. Qui vero ex defectione, et ignorantia et paſſione dicunt facta ea, quæ ſunt ſecundum nos, ignorantiæ, paſſionis, et defectionis fructus offerentes, peccant in Patrem ſuum, contumeliam facientes magis ei, quam gratias agentes. Quomodò autem conſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſint, corpus esse Domini ſui, et calicem ſanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant.... Quomodo autem rurſus dicunt, carnem in corruptionem venire, et non percipere vitam, quæ corpore Domini et ſanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo, quæ prædicta ſunt."

Caput CXXXVI.

Tales nobis hæreticos iam S. Ignatius M. in epiſtola ad Smyrnæos n. 7. deſignat:

Transsubstantiatio.

„Ab Eucharistia, inquit, et oratione abstinent; eoquod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris N. J. C., quæ pro peccatis nostris passa est.“ Quibus verbis ſimul in hoc testimonio perinde ac aliorum martyrum, qui fidem ſanguine ſignarunt SS. Justini, Irenæi, Cypriani luculentissimum habetur testimonium de veritate realis præsentiæ Christi in Eucharistia, quod S. Justinus philosophus gentilibus, qui iuxta apostolum I. Cor. I. 22.: *Sapientiam quærunt*, etiam rationibus firmat, demonstratque. Duplicem enim allatus a nobis ex prima pro Christianis ad Antoninum pium Imp. apologia locus demonstrationem habet veritatis catholicæ, in explicandis verbis Christi: *Hoc est corpus meum: Hic est ſanguis meus*, alteram ex natura desumtam, ut quemadmodum panis et vinum aliaque alimenta in carnem et ſanguinem nostrum transmutentur, ita panis et vinum in corpus et ſanguinem Christi; altera longe ſublimissima est ratio ac divina, ut quemadmodum in incarnatione caro Verbi ab ipso Verbo carnem assumente perfecta est, ita in Eucharistia panis et vinum caro et ſanguis fiant per precem, verba ipsius continentem, nimirum: *Hoc est corpus meum: Hic est ſanguis meus.* Utrumque argumentum coniungit S. Gregorius Nissenus *a*): „Unde in

a) Orat. Catechet. c. 37. T. III. p. 104.

illo corpore transmutatus panis transit in divinam virtutem, per idem nunc fit ſimiliter. Nam et illic verbi gratia ſanctum fecit corpus, cui ex pane erat ſubſtantia; et quodammodo ipſum quoque erat panis: et hic ſimiliter panis, ſicut dicit apoſtolus, ſanctificatur per Verbum Dei et orationem, non eo quidem, quod cibo mediante in Verbi corpus evadat, ſed quod ſtatim per Verbum in corpus transmutetur, ſicut dictum eſt a Verbo: *Hoc eſt corpus meum.* " Nempe, *quod pro vobis tradetur.* Ex quibus verbis S. Auguſtinus Neophytos allocutus, ſimpliciſſimam eis proponit fidem, *hoc accipite in pane, quod pependit in cruce etc.* S. Gregorius Niſſenus autem altius aſſurgens id agit, ut difficultati illi occurrat, quomodo idem corpus Chriſti, ut alibi a me eſt expoſitum *a*), a fidelibus in tam diverſis locis ſumi poſſit: „Quomodo, inquit *b*), fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, et ipſum in ſe totum maneat? " Quam rem quibusdam allatis comparationibus, ex rerum natura illuſtrat; quemadmodum etiam Eutychius patriarcha in eadem Eccleſia græca, ubi ſimplicior, adeoque purior ſemper fuit

a) *Theologia vetus et nova circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia cap. VI. p.* 164. *etc. Cap. XIX. p.* 528. *etc.*
b) *Loc. cit. p.* 192.

Caput CXXXVI.

theologia eucharistica, apud Balt. Corder. in catena græcorum Patrum in Lucæ cap. XXII. 16. *a*): „Totum igitur, inquit, ſacrum corpus Domini ſumitur, tametsi tantum particula ſuscipiatur. Dividitur enim indivisibili modo, in omnibus partibus existens propter commixtionem: quemadmodum ſigillum omnibus se communicat, et figuram ſuam imprimit, unicum tamen permanet, atque immutatum, et post ſui communicationem non minuitur, tametsi res innumeræ illo obsignentur. Et quemadmodum vox ab uno prolata, et per aërem diffusa, tota quidem penes illum a quo procedit manet, et in aëre facta, tota etiam ab omnibus illam audientibus excipitur, nemine eorum plus minusve referente, cum tota ſit indivisibilis, et eadem in omnibus, qui illam auribus hauriunt, tametsi illi numero ſint mille aut plures.“ Quæ comparatio lucem maiorem assertioremque accipit per explicationem S. Gregorii Nissæni qua panem et vinum in corpus et ſanguinem Christi transmutari ostendit, quandocunque et ubicunque fit verbis Christi consecratio, transmutaturque, perinde ac dum viveret Christus, panis et vinum, cibus et potus in eius corpus et ſanguinem. „Quærebatur enim, ait *b*), quemadmodum quod est in illo corpus Christi, vivificat omnem hominum

a) *Pag.* 552. *b*) *Ib. p.* 103.

naturam, in quibus eſt fides, omnibus diſtributum et ipſum minime diminutum. Fortaſſe ergo non procul abſumus a probabili ratione. Nam ſi cuiusvis corporis ſubſiſtentia nutrimento, nimirum cibo et potu conſtet: ſit autem cibus ille panis, potusque aqua vino exhilarata; Dei autem Verbum, ſicut prius eſt definitum, quod eſt Deus, et Verbum, humana eſt natura contemperatum: et cum eſſet in noſtro corpore, non aliquam aliam humanæ naturæ innovavit conſtitutionem; ſed per ea, quæ ſunt conſueta, et congruentia, ſuo corpori dedit permanſionem, cibo et potu continens ſubſtantiam. Cibus autem erat panis. Quomodo ergo in nobis, ſicut iam ſæpe dictum eſt, qui panem vidit, humanum corpus videt quodammodo, quod, cum ille in eo fuerit, hoc fit: ita illic quoque quod Deus ſuſcepit corpus, cum panis alimentum accepiſſet, quadam ratione idem erat, qui ille, alimento, ut dictum eſt, tranſeunte in naturam corporis. Nam quod eſt omnium proprium, id quoque pro certo et conſtanti eſt in illa carne, nempe quod illud quoque corpus pane continebatur. Corpus autem, Dei Verbi inhabitatione ad divinam tranſmutatum eſt dignitatem. Recte ergo nunc quoque Dei Verbo ſanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo tranſmutari. Etenim panis erat poteſtate

Caput CXXXVI.

illud corpus. Fuit autem ſanctificatus habitatione Verbi, quod tanquam in tabernaculo habitavit in carne.“ Tam ad captum eſt hæc theologia euchariſtica ad explicandam converſionem panis et vini in corpus et ſanguinem Chriſti, quam eſt alienus vel ab ipſa natura conceptus ubiquiſticus, ſeu omnipræſentia Lutheri, vel impanatio ad explicandam realem præſentiam convenienter ad verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.*

Suapte vero natura ſe hic menti ingerit tranſſubſtantiatio: „quando, iuxta phraſin S. Irenæi *a)*, mixtus calix, et fractus panis fit Euchariſtia ſanguinis et corporis Chriſti, ex quibus augetur, et conſiſtit ſubſtantia carnis noſtræ.“ Id quod fatetur Erneſtus Grabius Anglus ad S. Gregorium Niſſenum inter alios provocans, dum reſpiciens ad ſubſtantialem tranſmutationem per ἐπαύξησιν in notis ſic loquitur ad hunc S. Irenæi locum: „Sicut panis quem Servator in terris comedit, vi naturalis caloris in carnem eius vertebatur, et noſter panis quotidianus in ſubſtantiam corporis noſtri tranſit: quod corpus hodie a nobis geſtatum idem dicitur cum illo, in quo ante plures annos verſati ſumus, quoniam eadem anima vegetatur; licet particulæ eius

a) Lib. V. contra Hæres. c. II. n. 3.

ſint prorſus diverſæ, et nulla forte ex prioribus exiſtat ſuperſtes.“ Quæ ratio in Christo Deo et homine multo manifestiſſima est, dum in eo humana natura propria ſubsiſtentia carens ſubſiſtit in Verbo divino atque unum idemque ſiſtitur ex pane et vino transſubstantiatum corpus Christi quibuscunque locorum aut temporum (quorum quod attinet diſtantiam, haud dispar est ad rem ratio) intervallis fiat conſecratio, quin corpus, quod eius naturæ adverſatur, replicet, aut res implicet, quam quotidiano in nobismetipſis experimento contestatam habemus; ut quemadmodum panis et vinum in nostram ſubſtantiam transmutantur, ita in Eucharistia panis et vinum in corpus et ſanguinem Christi: „Non per generationem, ut verbis Bellarmini utar *a*), non per motum localem, ſed per converſionem panis in ipſum.“ Adhibet hic S. Irenæus l. c. obvia ad rem de vite et tritico exempla: „Quemadmodum lignum vitis depoſitum in terram ſuo fructificat tempore, et granum tritici, decidens in terram et diſſolutum multiplex ſurgit per ſpiritum Dei, qui continet omnia: quæ deinde per ſapientiam in uſum hominis veniunt, et percipientia verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus et ſanguis Christi.“ Solent hic SS. Patres (quos

CAPUT CXXXVI.

a) *De ſacramento Euch. Lib. III. c.* 4.

recenſui citato iam libro theol. V. et N. circa præsentiam Christi in Euchar. c. VI.) ad efficax illud provocare in rerum creatione divinum verbum, aut ad miracula non ſolum Christi in conversione aquæ in vinum, verum etiam in veteri testamento a Moyse patrata conversione virgæ in ſerpentem mox in primam naturam redeuntis, et aquarum Ægyptiarum in ſanguinem. Quæ quidem attentionem magis ad se rapiunt, ut tamen omnium accommodatissimum ſit exemplum quotidianum ac naturale nutritionis a S. Gregor. Nisseno maxime illustratum, quæ vero obvia cum „assiduitate ſua vilescant, ut cum S. Augustino loquar *a*), ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira, et ſtupenda in quolibet ſeminis grano, ſecundum ipsam ſuam misericordiam ſervavit ſibi quædam, quæ faceret oportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non maiora ſed insolita videndo ſtuperent, quibus quotidiana viluerant."

a) *Tract. XXIV. in Joan. n.* I.

CAPUT CXXXVII.

Caput CXXXVII.

CHRISTI CLARIFICATIO PER PASSIONEM, ET MORTEM IN RESURRECTIONE SUA.

Cum exiſſet (Judas) dixit Jeſus: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis: et Deus clarificatus eſt in eo.* Si Deus clarificatus eſt in eo, et Deus clarificabit eum in ſemetipſo: et continuo clarificabit eum. Jo. XIII. 31. etc.

Oblatus, quia ipſe voluit.

O immenſam clementiam Dei erga genus humanum ipſo momento, quo proditor Judas, nunc primum agno pro ſalute generis humani immolando paſtus, exit, ut atrociſſimum omnium proditionis ſcelus compleat, Chriſtus ſe clarificatum charis manifeſtat diſcipulis: „Non, ſunt verba S. Cyrilli Hieroſolymitani *a*), quod prius careret gloria; glorificatus enim erat gloria, quam habuit ante conſtitutionem mundi: Verum ut Deus glorificabatur ab æterno, modo vero glorificabatur, dum patientiæ geſtaret coronam. Non coacte reliquit vitam, nec vi illata mactatus eſt, ſed voluntarie. Audi quid dicat: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, et poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Volens inimicis concedo: niſi enim vellem, non

a) *Catech. XIII. n. 6. p.* 185.

Caput CXXXVII. fieret. Venit igitur ex libero propoſito ad paſſionem, gaudens de eximio opere, lætabundus de corona, plaudens ſibi de hominum ſalute: crucem non erubeſcens, ſalutem enim dabat orbi. Neque enim vilis erat homo, qui patiebatur, ſed Deus inhumanatus deque obedientiæ præmio decertans." S. Anſelmus lib. I. *Cur Deus homo*, factæ ſibi cap. 8. obiectioni de obedientia Chriſti reſpondens Boſoni: „Non bene, inquit *a*), diſcernis inter hoc, quod fecit exigente obedientia, et quod ſibi factum, quia ſervavit obedientiam, ſuſtinuit non exigente obedientia." Explicat deinceps rem ex apoſt. Phil. II. *Factus eſt obediens etc. Propterea exaltavit illum etc.* Et ex illo Ps. CIX. *De torrente in via bibet, propterea exaltavit caput.*

Ipſi, quibus crucifixus ſtultitia eſt, mundi ſapientes, illuſtriſſimi illi heroes quam maxime celebrantur, qui vitam pro ſalute patriæ exponentes victores extiterunt. Apoſtolorum nomine Paulus: *Nos*, inquit *b*), *prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus vero ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis atque Gentibus Chriſtum Dei virtutem, et ſapientiam*, quam nempe Deus cum immenſa benignitate ſua et iuſtitia tam eximie in redemtione humana plena cœleſti

a) *Pag.* 77. *b*) *I. Cor.*

Patri per mortem unigeniti Filii præſtita iuſtitia demonſtravit, atque etiam hoc modo Deus clarificatus eſt in ſemetipſo, omnia in omnibus etiam operibus ſuis per creationem, et redemtionem, quam iam in cruce ac paſſione ſua effuſo ſanguine conſummaturus erat, immolandus verus agnus paſchalis, cuius ſacrificii commemorationem iam in cœna modo inſtituerat; atque *clarificatus eſt Filius hominis*, mox cum ſe Chriſtus diſcipulis ſuis iam antea denunciaſſet, veniſſe horam, *ut clarificetur Filius hominis*, ſeſe illis ceu granum frumenti in exemplum dedit, quod *niſi cadens in terram mortuum fuerit; ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam a*). Quibus verbis generatim innuit apoſtolis, quod poſtea ſingulariter manifeſtavit Petro, *qua morte clarificaturus eſſet Deum b*), ſiquidem et cæteri plerique omnes apoſtoli fuerint Chriſtum per mortem ſecuti, quod mox ſequentibus haud obſcure ſignificatur verbis: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, et ubi ego ſum, illic et miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus;* eo nimirum honore et gloria, *ut ubi ego ſum, illic et miniſter*

CAPUT CXXXVII.

a) *Joan. XII.* 23. b) *Ib. XXI.* 19.

CAPUT CXXXVII.

meus erit, quod ſuis obtinuit electis per passionem et mortem ſuam, quæ cum tunc proxima esset, dicit: *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam.* Quæ verba parallela ſunt illis in horto: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Hic vero mox ſubdit: *Pater, clarifica nomen tuum;* cum paulo antea dixisset: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis;* dum paulo post se iam ante passionem et mortem ſuam clarificatum testatur, quando ſolos undecim apostolos electos electorumque omnium instar coram se habuit, postquam iam exisset Judas, quo adhuc præsente paulo ante *a*): *Turbatus est ſpiritu: et protestatus est et dixit: Quia unus ex vobis tradet me.* Quo in loco manifesta apparet causa cur præsente adhuc Juda turbatus ſit Christus, perinde ac mœroris in horto non propter se aut ea, quæ a se ſustinenda essent in passione ſua ac morte, ſed quemadmodum hic propter proditorem, ita in horto propter eos omnes, qui non essent participes futuri passionis ac mortis ſuæ, qua *clarificatus est* ut *Filius hominis; et Deus clarificatus est in eo.* „Quid est, quærit S. Jo. Chrysostomus *b*), *Deus glorificabit eum in se ipso?* Hoc est, per se

a) *Joan. XIII.* 21.

b) *Hom. LXXII. n.* 2. *T. VIII. p.* 425.

ipſum, non per alium; et ſtatim clarificabit eum, ſimul cum cruce. Non post longum tempus, inquit, neque diu post resurrectionem illum reddet ſplendidum; ſed ſtatim in ipsa cruce conspicuæ res apparebunt: Sol namque obſcuratus est, petræ ſcissæ ſunt; velum quoque ſcissum est; multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſuscitata ſunt: ſepulchrum ſignacula habebat, custodes assidebant; et cum lapis corpori ſuperpositus esset, corpus ſurrexit, post quadraginta dies ſpiritus datus est, et ſtatim omnes illum prædicarunt. Hoc est illud: glorificabit illum in ſe ipſo, et ſtatim glorificabit illum: non per angelos, non per aliam quamdam potestatem; ſed per ſe ipsum. "

CAPUT CXXXVIII.

MANDATUM NOVUM MUTUÆ DILECTIONIS.

Filioli, adhuc modicum vobiscum ſum. Quæretis me: et ſicut dixi Judæis: Quo ego vado, vos non poteſtis venire: et vobis dico modo: *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Jo. XIII. 33. etc.

Inter Chriſtianos.

Animadverte verba ceu tenerrime amantis patris moriturientis: *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum.* Quid vero teſtamenti loco eis reliquit, dum eos, necdum hæreditatem paternam adituros in cœlis, adhuc in hoc mundo reliquit? *Quo ego vado*, ait, *vos non poteſtis venire, et vobis dico modo.* Vides, quomodo attentionem moveat ad ea, quæ dicturus eſt; et quid dicit? Audi ultimam voluntatem Salvatoris noſtri: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Sed nunquid amor proximi ex duobus illis mandatis erat, in quibus tota lex pendet et prophetæ? At erat præceptum hoc depravatum et neglectum vitio hominum, amore proprio abductorum, præſertim etiam

Judaicæ gentis, ſuis rebus nimium ſtudentium, et prærogativa ſua cæteras nationes, ac homines proximos ſuos deſpicientium, odientiumque. Secundum ſiniſtram ſcribarum interpretationem, qua proximum in lege ſolum pro amicis, contribulibus, neceſſariis ſuis habere ſolebant, accipi ſolet illud Matth. V. 43. *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Poteſt tamen etiam ad literam ſumi, de inimicis illis, quibus parcere ac miſereri vetabantur veluti populis Chananeæ Deut. VII. 2. vel Amalecitis, quos delere iubebantur Deo etiam inimicos, quos ſæpe inceſſit, ac execratur pſalmiſta.

Caput CXXXVIII

Novum porro ac eximium, ſingulareque mandatum hoc voluit eſſe Chriſtus ſuorum diſcipulorum veluti teſſeram, in quo cognoſcerent omnes, *quia diſcipuli mei eſtis*, ſicut in Actis IV. 32. legimus: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una.* Et V. 12.: *Erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.* Nec ſtatim deferbuit arctiſſima hæc dilectionis inter Chriſtianos coniunctio, ſed, ut Tertullianus in Apologetico ſcribit *a*), „eiuſmodi vel maxime dilectionis operatio nobis notam inurit apud quoſdam. Vide, inquiunt, ut invicem ſe diligant (ipſi enim invicem oderunt) et ut pro alterutro

a) *Cap.* 39. *p.* 31.

Caput CXXXVIII

mori parati ſunt!“ Et mox: „Itaque qui animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta ſunt apud nos, præter uxores.“ Paulo poſt de religioſis chriſtianorum conviviis, quæ *Agape* vocabant *a*): „Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit; id vocatur, quod dilectio penes græcos.“ Et Minutius Felix in ſuo octavio: „Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odiſſe non novimus. Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis omnes, ut conſortes fidei, ut ſpei cohæredes.“ Nempe ut citato loco ſupra dixerat Tertullianus: „Fratres et dicuntur, et habentnr, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt ſanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ eiusdem ad unam lucem expaverunt veritatis. Sed eo fortaſſe minus legitimi exiſtimamur, quia nulla de fraternitate noſtra tragœdia exclamat, vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus.“ Quam vero iam rareſcit, eſtque odioſum hoc nomen, ac deſpicabile habetur hodie in iis, qui, primæ apoſtolicæ Eccleſiæ more Hieroſolymis, communionem bonorum conſectantur! Quam quæſo veteraſcit apud Chriſtianos mandatum Chriſti hoc novum novi teſtamenti! *Quod autem*, ut de veteri tunc abolendo loquitur D.

a) *Ib. pag.* 32.

Paulus Hebr. VIII. 13. *antiquatur, et ſeneſcit, prope interitum est.* Infelix omen noviſſimorum temporum, quia tunc, ut Christus ipse notavit, *refrigescet charitas multorum:* charitas Dei, et proximi ſuis testamenti loco relicta.

CAPUT CXXXIX.

APOSTOLI CONTENDENTES, QUI INTER EOS ESSET MAJOR?

Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent ſuper eos, benefici vocantur. *Vos autem non ſic: ſed qui maior est in vobis, fiat ſicut minor: et qui præceſſor est, ſicut miniſtrator etc.* Luc. XXII. 24. etc.

Non ſemel facta est inter apostolos hæc contentio, ut apud evangelistas diverſis refertur locis. Ac primum quidem locum dare potuerunt prærogativæ Petro datæ: tum etiam, ut observat S. Jo. Chrysostomus *a*), didrachma pro se et Petro ſolo ſolutum: postquam hæc enim acciderunt,

A dominandi fastu revocantur.

a) *Hom. LVIII. in Matth. n. 2.*

CAPUT CXXXIX. apud evangelistas primum facta contentio esse legitur; transfiguratio item, ubi quidem cum Petro ſimul adfuerunt Jacobus, et Joannes filii Zebedæi, qui, ut Marc. X. 35. legitur, aut eorum mater, ut habet Matthæus XX. 20. accessit ad Jesum petens, *ut*, ait, *ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad ſinistram tuam in regno tuo.* Marcus memorat audientes hæc decem cœpisse indignari de Jacobo et Joanne, Jesus autem vocans eos, *ait illis: Scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis etc.* quæ eadem leguntur apud Matthæum in historia de filiis Zebedæi iisdem pene verbis, quæ modo ex Luca XXII. audivimus.

Ad humilitatem parvuli.

Hic dum IX. 46. intrasse cogitationem in apostolos dicit, *quis eorum maior esset*, *at*, pergit, *Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, et ſtatuit illum ſecus se, et ait illis: Quicunque ſusceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: et quicunque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.* Convenit quod Marci IX. 32. legitur, interrogasse apostolos Christum, quid in via tractassent: *At illi tacebant: ſiquidem in via inter se disputaverant, quis eorum maior esset. Et residens vocavit duodecim, et ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus,*

et omnium miniſter. Addit idem de advocato in medium puero, perinde ac Matth. XVIII. 1. cum acceſſiſſent diſcipuli ad Jeſum dicentes: *Quis putas, maior eſt in regno cælorum? Et advocans Jesus parvulum, ſtatuit in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, et efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum.* CAPUT CXXXIX.

At in loco nobis propoſito Luc. XXII. non iam parvulum, ſed ſe ipſum exhibet humilitatis ſtupendum exemplum, lavando diſcipulorum pedes: quo vero non attento facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior, cum adhuc Judas adeſſet, an non incentor? qui loculos habebat *a)* ceu diſpenſator facultatum, quo nihil in humanis atque ſacris quoque ad ſuperbiendum proclivius. Equidem in Petro tunc præſumtio, nulla vero ambitio aut faſtus notatus fuerat; qui vero in prima ſua epiſtola præſcriptam contra dominatum ſæcularem a Chriſto conſenioribus ſuis hierarchis Eccleſiæ commendat formam *b)*: *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior, et teſtis Chriſti paſſionum: qui et eius, quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator: paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei,* Et ſuo exemplo.

a) Jo. XII. 6. et XIII. 29. *b) I. Petr. V. 1.*

CAPUT CXXXIX. *providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque, ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.* Est hoc, quod mox Christus, dum eos a fastu et ambitione ſæculi dehortatus est, illis promittit in regno ſuo, quod eis iam per passionem et mortem ſuam dispoſiturus erat: *Vos*, inquit *a*), *estis*, *qui permanſistis mecum in tentationibus meis: et ego dispono vobis, ſicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis, et bibatis ſuper menſam meam in regno meo: et ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Israel:* nempe qui ambitione ſæculi, ac vana regni Meſsiæ terreni ſpe Evangelium regni Christi non ſusceperunt iudicandi a contribulibus ſuis apostolis, qui eum ſecuti *in regeneratione cum ſederit Filius hominis in ſede maiestatis ſuæ*, ſedebunt *ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel b*). Haud ſecus vero eisdem apud Joannem l. c. post datum in lotione pedum humilitatis exemplum, indicat dignitatem apostolatus eorum, adhuc in terris. Postquam enim ad extollendum illud humilitatis exemplum dixerat Jo. XIII. 16.: *Amen, amen dico vobis: Non est ſervus maior domino ſuo: neque apostolus est maior eo, qui miſit illum: ſi hæc ſcitis, beati eritis, ſi*

a) *Luc. XXII.* 28. *b*) *Matth. XIX.* 28.

feceritis ea; mox v. 20. eadem uſus conſueta ſua aſſeverandi formula, poteſtatem, quam ſuo Patriſque nomine habituri eſſent, atque geſtaturi perſonam in terris aſſerit: *Amen, amen dico vobis: Qui accipit, ſi quem miſero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me miſit.* Id quod etiam aliis occaſionibus dictum apud alios evangeliſtas legitur.

CAPUT CXL.

CHRISTI PRO PETRO ORATIO, UT NUNQUAM DEFICERET FIDES EJUS.

Simon, Simon, ecce ſatanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Luc. XXII. 31. 32.

Converſusque confirmaret fratres ſuos.

Immediate hæc ſequuntur apud Lucam, poſteaquam, facta inter apoſtolos contentione, *quis eorum videretur eſſe maior*, eos quidem Chriſtus, ut modo audivimus, in ordinem redegiſſet, ad humilitatem revocatos, ut tamen mox ſubiungeret: *Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum etc.* διατίθεμαι, unde

CAPUT CXL.

διαθήκη testamentum, quod Christus novum instituit, reiecto veteri, post mortem ſuam per apostolos iam tunc etiam ſedentes *ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Israel* notanter in concilio Hierosolymitano Act. XV. dum tradita ſibi divinitus auctoritate rem decernentibus, his verbis, *visum est Spiritui ſancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris etc.* postquam iam prius Act. X. per Petrum *primum Deus visitavit ſumere ex gentibus populum nomini ſuo*, ut in eodem concilio Jacobus apostolus effatur ex ore ipsius Petri: qui ubique se os apostolorum et caput exhibuit conversus a lapsu, quem ei mox apud eundem Lucam, cum illi confirmandos fratres commisisset, prædixerat Christus, ſtatimque ſese vaticinii huius veritas ostendit, quemque aliquando ſatanam, quod non ſaperet, quæ Dei ſunt, appellavit Christus, cum eius passionem impedire vellet, iam instante passione maxime cribravit ſatan, ut ter Christum negaret, ſibi plus fidens, quam Christi verbis, lapsum ei prædicentis: cum enim ad Petrum diceret: *Simon, Simon, ecce ſatanas expetivit vos*, ipse confidenter dicit *a*): *Domine, tecum paratus ſum, et in carcerem, et in mortem ire.* Nec hoc ſibi arroganter præsumsisse contentus, cum Christus generatim omnes in se ſcandalum *b*) passuros, palam ac præcise dice-

a) *Luc. XXII.* 33. *b*) *Matth. XXVI.* 31.

ret, ipse iterato contradicens proterve asseverat: *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor:* ac quoties ſe facturum negat, toties Christum eadem nocte pernegavit; at mox etiam, dum conversus eum respiceret Christus, conversus et ipse agnoscens reatum flevit amare, hactenus efficaci Christi in Petri etiam ſucceſſoribus oratione, ut non deficeret fides Petri ſuper quam Christus ædificavit Eccleſiam ſuam, promiſitque portas inferi non prævalituras adversus eam: dum hic ſingulariter iniungitur Petro: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, eos omnes in Eccleſia ſuper petram ædificatam quibuscum ſe futurum promiſit usque ad conſummationem ſæculi. Cumque Eccleſia Christi ad gentes eſſet transferenda ſedem ſibi Petrus ſanguine ſuo in gentium metropoli Roma orbi gentium dominante, ablato tunc ſceptro de Juda ac paulo post ſanctuario destructo, conſecravit, in cruce ſicut ſuus magiſter ſuſpenſus prout ei prædixerat post reſurrectionem ſuam Christus ſolito ſuo aſſeverans iuramento a): *Amen, amen dico tibi: cum eſſes iunior cingebas te, et ambulabas, ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas,* (in cruce) *et alius te cinget, et ducet, quo tu non vis* (inter gentes). *Hoc autem dixit, ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Cuius

a) *Jo. XXI.* 18.

Caput CXL.

prædictionis ipse meminit in epiſtola Petrus a): *Certus, quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei; ſecundum quod et Dominus noſter Jesus Chriſtus ſignificavit mihi.* D. Paulus vero (qui cum D. Petro princeps apoſtolorum dici meruit profuſo pariter Romæ eodem quidem die, non eodem anno ſanguine ſuo) apoſtolatum deprædicans acceptum a Chriſto *ad obediendum fidei in omnibus gentibus*, in ipſa ſalutatione epiſtolæ ſuæ ad Romanos fidem hanc quam Roma hactenus inviolatam ſervavit, ſervabitque petra ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam ſuam, annuntiari in univerſo mundo conteſtatur, fidem nempe *in omnibus gentibus pro nomine eius, in quibus eſtis et vos* (Romanos affatur) *vocati Jeſu Chriſti. Omnibus, qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis. Gratia vobis, et pax a Deo Patre noſtro, et Domino Jeſu Chriſto. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis: quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo*, nunquam deficiente fide Petri confirmantis fratres ſuos.

a) *II. Petr. I. 14.*

CAPUT CXLI.

LAPSUS PETRI.

Caput CXLI.

Omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta: quia ſcriptum est: Percutiam paſtorem, et dispergentur oves. Sed postquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: Et si omnes ſcandalizati fuerint in te: ſed non ego. Et ait illi Jesus: *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me negaturus es.* At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant. Marc. XIV. 27. etc.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis! Petrus plenus zelo, et amore pro magiſtro, ut videri poterat, atque etiam ſibi ipse videbatur, promtiſſimus eum ſequi in quævis pericula, atque animam etiam paratus pro eo ponere: plenus reverentia, ut humilis diceret, *tu mihi non lavabis pedes in æternum;* mox etiam obediens ultra modum, *Domine non ſolum pedes, ſed etiam caput.* Facta est, ut modo vidimus, quidem iterum contentio inter discipulos paulo ante, quam Christus, lavando discipulorum pedes, eos ad humi- Eidem ad cautelam ſalutarem.

litatis ſtudium revocaret, *quis eorum videretur esse maior*, nullum autem ſingularis ab evangelista in Petro ambitionis vestigium notatur, nec prius, ſicut in filiis Zebedæi Jacobo et Joanne, quos inter Petrus ſemper primo præ cæteris omnibus habebatur loco a Christo. Jam vero dum ad momentum omnium maximum perventum, multo gravius omnibus lapsurus prædicitur: *Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus.*

Erat olim feralis tuba alicubi gentium, græcis *αλέκτωρ gallus*, dicta, quæ per intervalla insonabat per urbes et compita, cum de iudicio ſanguinis agebatur ad provocandum; si quid in causa rei a quoquam proferri posset. Nihil hic accommodatius esse potuit ad ſolitum galli cantum, nec congruentius dici queat; ſed Petro tragicum erat horrendi lapsus, trinæ abnegationis indicium. Persistit Petrus, nimium ſibi ipsi fidens, et de se præsumens, in abnuendo, quod Christus ei non ſemel indicaverat futurum, quodque paulo post evenit, in Christo perfricte ac perfide abnegando. *At ille amplius loquebatur: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Hoc cum S. Chrysostomus observasset in h. l. „quanto magis Christus negabat, tanto magis Petrum contra contendisse: Quid hoc est, pergit, Petre? cum dicebat, unus vestrum

me traditurus est, timebas, ne tu ipse proditor esses, et condiſcipulum ſciſcitari cogebas, licet nihil horum tibi conſcius esses: nunc autem ipso clare clamante, ac dicente: *omnes ſcandalizabimini*, contradicis, nec ſemel tantum, ſed bis et pluries? Hoc quippe dicit Lucas. Unde ergo hoc ipsi contigit? Ex multo amore, ex multa voluptate. Postquam enim illo terrore liberatus fuit, ne proditor ipse esset, et proditorem novit, cum confidentia postea loquebatur, et contra alios insurgebat, dicens: *Et si omnes ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor.* Imo aliquid ambitionis hic erat: nam et in cœna quis eorum maior esset, disceptabant; ita illos hic morbus exagitabat. Idcirco illum cohibuit, non ad negationem impellens, absit, ſed auxilio ſuo vacuum relinquens, humanæque naturæ infirmitatem demonstrans. Vide autem, quomodo post hæc demissus fuerit: nam post resurrectionem quando dixit: *Hic autem quid?* et repressus est, ne contradicere quidem est ausus, ut hic, ſed tacuit. Rursusque post resurrectionem cum audit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta;* rursus tacuit, nec contradicit. Deindeque in cœnaculo, et ſindone cum audisset vocem dicentem ſibi: *Quæ Deus purificavit, tu communia ne dixeris*, cum non clare ſciret, quid ſibi vellet illud,

Caput CXLI.

quievit, neque contendit. Hæc porro omnia lapſus ille operatus est. Antea vero totum ſibi adscripsit, dicens: *Et si omnes ſcandalizati etc.* cum dicere debuiſſet, si gratia tua fruar: contra vero postea ſic loquitur: *Quid nobis attenditis, quasi propria virtute vel pietate fecerimus hunc ambulare?* Magnum hic dogma accipimus, non ſufficere hominis fervorem, nisi ſuperna adsit gratia."

Eximius vero, quem D. Petrus apostolorum princeps fecit ex ſuo lapsu, profectus, cum ſit etiam in ſucceſſorum ſuorum exemplum, modestia præſertim et humilitas, qua reprehendentem D. Paulum tulit, multos tamen nullo non tempore in transversum egit, ipsum S. Cyprianum M. cuius in hanc rem verba et exemplum contra Donatistas afferens S. Augustinus: „Magnum quidem, inquit *a*), meritum novimus Cypriani episcopi et martyris; ſed numquid maius quam Petri apostoli et martyris? De quo idem Cyprianus in epistola ad Quintum ita loquitur: " Nam nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, et ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione postmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid insolenter, aut arroganter aſſumpsit, ut diceret, ſe primatum tenere, et obtempe-

a) *Lib. II. de baptiſmo contra Donatiſtas n.* 2.

Caput CXLI.

rari a novellis et poſteris ſibi potius oportere; nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet: ſed conſilium veritatis admiſit, et rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile conſenſit; documentum ſcilicet nobis, et concordiæ et patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando a fratribus et collegis noſtris utiliter et ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera et legitima, ipſa potius noſtra ducamus. „Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in ſcripturis ſanctis didicimus, apoſtolum Petrum, in quo primatus apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quam veritas poſtulabat de circumciſione agere ſolitum, a poſteriore apoſtolo Paulo fuiſſe correptum." Acris de hac re fuit S. Auguſtino diſceptatio cum S. Hieronymo *a)*, qui hanc honeſtam diſpenſationem dicebat, qua utique etiam aliquando opportune D. Paulus circumcidendo Timotheum uſus fuerat; nec circa veritatem ipſam error in Petro eſſe poterat, quam ipſe in viſione didicerat, et in concilio Hieroſolymitano definierat; ſed tamen hic œconomia intempeſtiva reprehenſibilis fuit. Quod ut eius apoſtolatus primatusque prærogativæ nihil detrahit perinde exiſtimandum in huius-

a) T. II. opp. S. Auguſt. p. 173. B.

P 2

modi lapſibus est de eius ſucceſſoribus, in quibus id constanter experti ſumus experituramque ſemper Eccleſiam tuto confidimus, quod Christus pro Petro Patrem rogavit a), *ut non deficiat fides tua, et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, ſucceſſores præ cæteris apostolorum in communione potestatis eccleſiasticæ inter ſummos Eccleſiæ pastores pontificem et epiſcopos, quos vel ipſum S. Cypriani exemplum cautos reddere debet cum S. Augustino dicente l. c. „Cæterum vereri magis debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum apostolatus principatum cuilibet epiſcopopatui præferendum.“

a) *Luc. XXII. 32.*

CAPUT CXLII.

CHRISTUS VIA, VERITAS, ET VITA.

Quo ego vado, ſcitis, et viam ſcitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus, quo vadis: et quomodo poſſumus viam ſcire? Dicit ei Jesus: *Ego ſum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Jo. XIV. 4. etc.

Viæ dux ad vitam cœlestem.

Postquam Christus denunciasset Petro, ab eo se eadem nocte antequam gallus cantet, ter esse negandum, celebrem illum ac ſublimem (in quo fuerunt, qui ſummas quasque eloquentiæ humanæ virtutes, importune profecto, deprehendisse ſibi ſunt visi) apud Joannem XIV. et ſeqq. prosequitur ſermonem interruptum, orsus iterum velut ex abrupto: *Non turbetur*, inquit, *cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ ſunt. Si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum.* Non poterant non turbari discipulorum animi ex his, quæ dicebat, et faciebat Christus tunc, dum iam prope esse ipsi conceperant regnum illud Messiæ, in quo se proximos futuros esse a rege nec quidquam dubitabant, necdum eorum animis exempto præiudicio, ac ſtupore illo

Caput CXLII. Judaico, de Messia domino ac domitore orbis. Unde etiam referbuit inter eos contentio: *Quis eorum videretur esse maior.* At Christus repressit eorum ambitionem non ſolum verbis, ſed facto etiam: ablutione nimirum pedum eos ad humilitatem revocat, de proditore locutus, de infidelitate ipsorum ſingulorum, de negatione Petri, tum præsertim quod abiturus, eosque ſolos relicturus esset. *Filioli, adhuc modicum tempus vobiscum ſum. Quæretis me: et ſicut dixi Judæis: quo ego vado, vos non potestis venire: et vobis dico modo a).* Jam Petrus eum interrogaverat: *Domine, quo vadis? Respondit Jesus: Quo ego vado, non potes me modo ſequi: ſequêris autem postea.* Ex ipsa Petri responsione patet, mali aliquid eum esse ominatum: *Dicit ei Petrus: Quare non possum te ſequi modo? animam meam pro te ponam.* Nunc vero dum eorum animum et exspectationem erigit, postquam præparaverit eis locum, se iterum venire promittit, et accipere eos ad se ipsum: *ut ubi ſum ego, et vos ſitis. Et quo vado, ſcitis, et viam ſcitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus, quo vadis: et quomodo possumus viam ſcire?* Simplex hæc ac popularis est interrogatio; quantivis vero ac ineffabilis momenti Christi responsio. *Dicit ei Jesus: Ego ſum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

a) *Jo. XIII.* 33.

Quibus verbis integra œconomia redemtionis, ac ſalutis humanæ per Christum auctorem vitæ, et felicitatis æternæ comprehenditur. „*Ego ſum*, inquit, ſunt verba S. Athanasii *a*), eorum, qui ſalutem conſequuntur, *via*, et mortuorum *vita*, et eorum, qui mendacium aversantur, *veritas.*" Via est Christus tanquam homo missus a Patre, ut nos astu mendaciis dæmonis deceptos, atque in devia abductos, tanquam Deus æterna veritas, et vita in morte peccati constitutos revocaret in viam veritatis ac vitæ æternæ, ad quam a Deo creatore destinatus homo; desciscens autem a Christo redemtore Deo et homine Patri est reconciliatus: Quia *nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Est hoc quod dixerat: *Creditis in Patrem, et in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ ſunt.* Ne ſcilicet turbarentur dum hac se ſolari possent ſpe: *quia vado parare vobis locum* in cœlis nempe vitam æternam. Quod vero non intellexerant Judæi, dum id Christus eis palam ſolito ſuo iuramento asseveraverat Jo. VI. 47. veritas æterna: *Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ etc.* ſed multi etiam ex discipulis dixerunt tunc: *Durus est hic ſermo, et quis potest eum audire?* deseruerunt viam, *retro abierunt, et iam non cum illo ambulabant.*

a) *Serm. de ſide Bibl. PP. T. V. p.* 166.

At Petrus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Sic nos cum S. Ambrosio oremus *a*): „Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, vivifica quasi vita. Pande ergo illud vere bonum tuum, illud divinum, in quo et vivimus, et movemur. Movemur quasi in via, ſumus quasi in veritate, vivimus quasi in vita æterna.“ Sic S. Augustinus in illa Jo. V. 25. Christi verba *b*): „*Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Unde vivent? inquit, de vita. De qua vita? de Christo. Unde probamus, quia de vita Christo? *Ego ſum*, inquit, *via, veritas, et vita.* Ambulare vis? *ego ſum via.* Falli non vis? *ego ſum veritas.* Mori non vis? *ego ſum vita.* Hoc dicit tibi Salvator tuus: Non est, quo eas, nisi ad me; non est, qua eas, nisi per me.“ Brevissime S. Bernardus Serm. II. de ascensione T. III. p. 914. *c*): „Sequamur Domine te, quia tu es *via, veritas, et vita.* Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.“ S. Laurentius Justinianus, *de casto connubio verbi et animæ* c. 22. *d*): „Via, inquit, credentium, veritas contemplantium, et vita regnantium. Quos enim eligis, ut in vita æterna regnent vita vivifi-

a) *Lib. de bono mortis c.* 12. *b*) *T. III. P. II. p.* 468.
c) *Vid. de grad. humil. et ſuperb. c.* 1. *T. II. p.* 559.
d) *T. I. p.* 247.

cante, nunc reples gratia. Manifeſtas te illis, illos rapis in te ſupra se, et iam non ſunt in se, ſed in te: vident se non in se, ſed in te: exultant in se de te, ſuaviterque commorantur extra se, quia ſunt in te, iucundiusque manent in te, quam in se." Omnia uno in complexu habes lib. III. de imitatione Christi c. 56. „*Ego ſum via*, *veritas*, *et vita.* Sine via non itur, ſine veritate non cognoscitur, ſine vita non vivitur. Ego ſum *via*, quam ſequi debes; *veritas*, cui credere debes; *vita*, quam ſperare debes. Ego ſum *via* inviolabilis, *veritas* infallibilis, *vita* interminabilis. Ego ſum *via* rectiſsima, *veritas* ſuprema, *vita* vera, vita beata, vita increata. Si manseris in via mea, cognosces veritatem, et veritas liberabit te, et apprehendes vitam æternam."

Caput CXLIII.

CAPUT CXLIII.

VISIO PATRIS IN FILIO.

Si cognoviſsetis me, et Patrem meum utique cognoviſsetis: et amodo cognoſcetis eum, et vidiſtis eum. Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis Patrem, et ſufficit nobis. Dicit ei Jeſus: Tanto tempore vobiſcum ſum, et non cognoviſtis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. *Quomodo tu dicis: Oſtende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor: Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Joan. XIV. 7. etc.

Per incarnationem unigeniti Filii Dei.

Antequam Philippus peteret a Chriſto: *Domine, oſtende nobis Patrem*, iam Chriſtus dixerat: *Et amodo cognoſcetis eum, et vidiſtis.* Dum nimirum in eo erat, ut completurus eſſet opus redemtionis noſtræ, propter quod e ſinu Patris deſcendit factus homo unigenitus Filius Dei, quo ſimul nobis Pater eſt manifeſtatus, prout infra apud eundem S. Joannem ipſe in oratione ad ſuum cœleſtem Patrem effatur *a*): *Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi*

a) *Joan. XVII. 6.*

de mundo. Quod eſt myſterium incarnationis ſummum, Deus manifeſtatus in carne, quando iuxta eundem Joan. I. 14. *vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis:* cum quo myſterium aliud nullum reſplendentibus radiis divinitatis in operibus naturæ, et providentiæ quibus Deus potentiam, ſapientiam et bonitatem ſuam manifeſtavit, in comparationem venire poteſt. „Non enim, ſunt verba Theodoreti *a*), immenſam bonitatem illius ſic oſtendit cœlum, et terra, mare, ſol, et luna, et ſidera, atque univerſa denique creatura, tam quæ videri poteſt, quam quæ non poteſt, ſolo verbo condita, ſive potius ſolo nutu voluntatis per verbum in medium educta; quemadmodum unigenitum ipſum Dei Filium, qui forma Dei exſtabat, ſplendorem gloriæ, figuram ſubſtantiæ, qui in principio erat, et Deus erat, per quem omnia facta ſunt, ſuſcepta hominis forma in ſimilitudinem hominis eſſe factum.“ Quando nimirum *miſericordia et veritas*, iuxta pſalmiſtam, *obviaverunt ſibi, iuſtitia et pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt, et iuſtitia de cœlo proſpexit.* Eſt hoc, quod D. Paulus conteſtatur Epheſiis in Chriſtum credentibus *b*): *Non ceſſo, gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, ut*

Caput CXLIII.

a) *Orat. X. de provid.* *b*) *Eph. I. 16.*

CAPUT CXLIII.

Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ, et revelationis, in agnitione eius: illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis. Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus ſecundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto etc. Et poſtea a): *Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, et cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſalvati) et conreſuſcitavit, et conſedere fecit in cælestibus in Chriſto Jeſu: ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.* Et paulo poſt commemorans commiſſum ſibi b) *in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, et illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innoteſcat principatibus, et poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Sic etiam conteſtatur ſollicitudinem ſuam Coloſſenſibus, Laodicenſibus, *et quicunque*, ait c), *non viderunt faciem meam in carne: ut conſolentur corda ipſorum, instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterii Dei Patris et Chriſti Jeſu: in*

a) *Eph. II. 4.* b) *Ib. III. 8.* c) *Col. II. 1.*

quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ et ſcientiæ absconditi: quos nimirum cœleſtis Pater per Filium ſuum nobis manifeſtavit. Unde miratus Christus: *Tanto*, inquit, *tempore vobiſcum ſum, et non cognoviſtis me:* posteaquam iam dudum Petrus os apoſtolorum eorum nomine Patrem in Filio (per quem nobis locutus eſt Deus *a*): *Cum ſit ſplendor gloriæ, et figura ſubſtantiæ eius*) agnoverat exclamans *b*): *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei*, Deus verus, de Deo vero, ut qui videt Filium, videat et Patrem conſubſtantialem Patri. Unde iam Christus dixerat: *Si cognoviſſetis me, et Patrem meum utique cognoviſſetis: et amodo cognoſcetis eum, et vidiſtis eum.* Unde Philippus occaſionem quærendi acceperat.

Caput CXLIII.

Hic in fide, in cœlo in ſpecie ſicuti eſt.

Simplex et rudis videtur Philippi petitio, ut veluti oculis exhibeat Christus Patrem, qua vero eo intellectu, quem iam Deus Abrahamo aperuerat: *Ego ero merces tua magna nimis*, re ipſa conformiter Christi reſponſo nihil eſt ſublimius in evangelio, cuius unicus hic eſt finis, debetque unicum eſſe deſiderium noſtrum ac votum, tota ſpes noſtra hic et in æterna vita. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, et quem miſiſti Jeſum Christum c*).

a) *Hebr. I.* 3. *b*) *Jo. VI.* 69. *c*) *Ib. XVIII.* 3.

Caput CXLIII.

Igitur rogemus Dominum: *Domine, oſtende nobis Patrem, et ſufficit nobis:* hic in fide, in cœleſti autem patria in ſpecie prout apposite S. Auguſtinus illud quod modo præ oculis habuimus, *ego ſum via, veritas, et vita*, ſublimiter ad connexionem ſermonis Chriſti interpretatur. „In fide nobis, inquit, via eſt, in ſpecie autem veritas et vita. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate a)*, et hæc eſt fides: *tunc autem facie ad faciem*, et illa erit ſpecies," de utraque cognitione loquitur Chriſtus: *Si cognoviſſetis, et amodo cognoſcetis eum*, hoc ad ſpeciem pertinet: quando eum *facie ad faciem* videbimus, ſicuti eſt, illud ad fidem; quomodo nunc Patrem in Filio agnoſcimus diſtinctum quidem in perſona, ſed in una ſubſtantia paternitate perfecta, quæ in nobis, qui non eandem, ſed ſimilem tantum homogeneam a parentibus habemus, non niſi imperfecta eſt. *Quomodo tu dicis: oſtende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Verbis ſuis de divinitate ſua in unitate ſubſtantiæ fidem facit operibus, miraculis nimirum. De quibus alibi *b)*: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Et *c)*: *Amen, amen dico vobis: non poteſt Filius a ſe facere quidquam, niſi*

a) *I. Cor. XIII. 12.* b) *Jo. V. 17.* c) *Ib. v. 19.*

quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc et Filius ſimiliter facit. Pater enim diligit Filium, et omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit: et maiora his demonſtrabit ei opera, ita ut vos miremini. Quæ non ſolum de ſuis, ſed etiam de diſcipulorum operibus intelligenda ſunt, ut hic dicit *a*): *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipſe faciet, et maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado:* „Quæ verba, ut loquitur S. Thomas in h. l. *b*), non ſolum monſtrant virtutem divinitatis in Chriſto, ſed etiam virtutem fidei, et coniunctionem Chriſti cum fidelibus. Sicut enim Filius operatur propter Patrem in ſe manentem per unitatem naturæ; ita et fideles operantur propter Chriſtum in ſe manentem per fidem.“

Eſt hæc fides coniuncta cum plena fiducia ad quam diſcipulos ſuos hortatus, *Habete*, inquit *c*), *fidem Dei. Amen dico vobis, quicunque dixerit huic monti: Tollere, et mittere in mare: et non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia, quæcunque orantes petitis: credite, quia accipietis, et evenient vobis.* Et hic iam ſuos relicturus in mundo *d*): *Quia ego ad Patrem*

a) *Joan. XIV.* 12. *b*) *In cap. XIV. Joan.*
c) *Marc. XI.* 22. *d*) *Joan. XIV.* 12.

CAPUT CXLIII.

vado, et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. Hoc faciam, inquit, *quod petieritis Patrem*, et mox: *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*, ut oſtenderet ſe unum cum Patre Deum, ſeque eſſe, qui faciat, ſive Patrem in nomine ſuo rogarent, ſive ſeipſum: *Quia ego in Patre, et Pater in me eſt.* Et infra v. 20. ubi eis vitam, qua nimirum ipſe in Patre vivit in cœlo, promittit: *In illo die*, inquit, *cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis*; in beata nempe viſione Dei *facie ad faciem.* At vero, ut alibi dicit a): *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Eſt hoc, quo concluditur ſermo de viſione Patris in Filio complenda in altera vita. Nempe b): *Qui habet mandata mea, et ſervat ea: ille eſt, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifeſtabo ei meipſum.* Idem mox repetit ad Judæ ap. interrogationem: *Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, et non mundo?* Quod myſterium illud prædeſtinationis attinet, de quo D. Paulus, raptus licet in tertium cœlum, exclamat c): *O altitudo divitiarum ſapientiæ et ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia*

a) *Matth. VII.* 21. b) *Jo. XIV.* 21. c) *Rom. XI.* 33.

ſunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius! etc. Christus non attenta Judæ quæstione, dicta modó de dilectione, qua ſalvi ſimus, repetens, respondit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus: qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*, atque idcirco reprobus est; qui autem diligit in finem electus, ut mox videbimus Cap. ſeq.

Caput CXLIV.

CAPUT CXLIV.

OBEDIENTIA IN CHARITATE.

Si diligitis me, mandata mea ſervate. Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. Jo. XIV. 15. etc.

„Supra conſolatus est Dominus discipulos ſuos, ſunt verba D. Thomæ l. c., de ſuo receſſu, promittens eis acceſſum eorum ad Patrem; ſed quia poſſet videri eis longum, quod ad Patrem accederent, et in-

Diffuſa in cordibus nostris per Spiritum ſanctum.

CAPUT CXLIV.

terim ſine magiſtro esse dolerent, ideo consolatur eos, promittens eis Spiritum ſanctum." Explicat S. doctor deinde, quæ ſit conditio ad receptionem Spiritus S. ex parte discipulorum requisita: „Scilicet amor cordis, et obedientia operis. Quorum unum Dominus ſupponit eos habere: et quantum ad hoc dicit: *si diligitis me;* et hoc apparet, quia tristamini de meo recesſu. Infra XVI. 27. *Vos me amastis, quia ab initio mecum estis.* Aliud vero imperat futurum, et quantum ad hoc dicit: *Mandata mea ſervate:* quasi dicat: Non ostendatis amorem, quem habetis ad me in fletu, ſed in obedientia mandatorum meorum." Jam tunc tristitia apostolos ob propinquum discessum Christi repleverat ignaros adhuc, quæ eos mala ſustinenda manerent in demandato eis apostolatus munere; ideo promittit eis Spiritum S. paracletum ſeu consolatorem in omnibus periculis et adversitatibus: ne ceu orphani in mundo errarent: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Antequam ab eis discederet ad Patrem, promisit: *Ecce ego vobiscum ſum usque ad consummationem ſæculi.* Quod cum corporaliter Verbo incarnato fieri non posset, hic promittit se rogaturum Patrem: *et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Adhuc ea in persuasione

erant apoſtoli, Chriſti regnum, reſtituto regno Iſrael in ſolio David, ſuper gentes fore in mundo. Ideo quærit Judas: *Quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, et non mundo.* Manifeſta autem eſt Chriſti reſponſio ſecundum conditionem, quæ prius apoſtolis fuit poſita, amor cordis et obedientia operis: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Talis eſt mundus, et omnis, qui diligit mundum: *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo a).* Hoc eſt regnum Chriſti in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum diffuſum, ut eum ex toto corde amantes, ſermonem eius ſervemus, ſerviamusque ei, *de manu inimicorum noſtrorum liberati in ſanctitate et iuſtitia omnibus diebus noſtris.*

Sic impletur præceptum illud charitatis, in quo, ut iam ſupra vidimus, tota lex pendet, et prophetæ: duplex quidem Dei et proximi, ut tamen hoc ad illud revocetur, quatenus proximum non niſi in Deo diligimus, et ſic iuxta apoſtolum omnia in charitate fiunt. Hinc eſt quod Deus a nobis non niſi cor noſtrum petit: *Fili mi,*

a) *I. Joan. II. 1.*

CAPUT CXLIV. *præbe mihi cor tuum.* Hic est ſpiritus ille adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba, Pater! Quo eundem cum Christo cœlestem Patrem nacti hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi in regno cœlorum constituimur. Quid hoc regno augustius? Quid hac relatione Deum Patrem inter et nos filios nobis dignius ſublimiusque? Quid fruitione hac ſummi boni, in amando æternum Deo beatius cogitari ac esse possit? Quid hac ſuavitate in delectatione charitatis dulcius? Quid facilius leviusque in hac vita impletione legis, exhibitioneque operis non voluntate tantum, ſed etiam voluptate charitatis? „Est quædam voluptas cordis, ſunt verba S. Augustini *a*), cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro si poetæ dicere licuit: *trahit ſua quemque voluptas*, non necessitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Christus est?" Ille nempe qui in apostolis nobis omnibus dixit: *Si diligitis me, mandata mea ſervate?* Hoc est mandatum Christi novum; hæc lex gratiæ: hic est paraclitus ille, Spiritus ſanctus, per charitatem diffusus in cordibus nostris, ut ſine onere, ſine labore omnia in chari-

a) Tract. XXVI. in Jo. n. 4. T. III. P. II. p. 495.

ſtate faciamus; quidquid Deo creatori, redemtorique debemus ſola cordis redhibitione præſtemus, delectationeque charitatis. „Ipſi gratias, ut cum S. Paulino loquar *a*), qui nobis tanti fœnoris remittit uſuras, et obligationis immenſæ compendium præſtat, ſolam a nobis ſui dilectionem repetens: quam inter præcepta principali loco ponens oſtendit, quomodo inſolubile debitum etiam inopes ſolveremus. Nemo ſe excuſet difficultate ſolvendi: quia nemo ſe poteſt dicere, animum non habere. Addo etiam amplius, eum, qui creditor eſt, debitorem fore.“

Caput CXLV.

CAPUT CXLV.

PAX CHRISTI.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Jo. XIV. 27.

Inter mala in hoc mundo.

Dicit hæc Chriſtus, poſtquam verſu proxime antecedenti promiſiſſet apoſtolis ſuis paracletum Spiritum ſanctum, conſolatorem nimirum, ne turbaretur cor eorum: quibus verbis *non turbetur cor veſtrum* velut ex ab-

a) *Epiſt.* 4.

Caput CXLV. rupto, ſed apposite omnino (cum ad paſſionem ſuam properando, dixiſſet: *Surgite eamus* Joan. XIII. 38.) ſermonem hunc ultimum ad apostolos ſuos exorſus fuerat Joan. XIV. etc. in quo tanta eis perferenda prædicit, ipſa prædictione hac firmato eorum, ne in tantis malis deficeret, animo: *Hæc*, ait Joan. XVI. 1. cum iterum eis Spiritum ſanctum paracletum promiſiſſet, *locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Absque ſynagogis facient vos etc.* Jam ex parte viderant cum Christo verſati apostoli paupere, et afflicto: iamque in eo res erat, ut paſſio et mors Christi conſummanda in memoriam eorum ea revocaret, quæ toties Christus de ſe ipſo, et de omnibus, qui accepta post Christum cruce eius diſcipuli eſſe vellent, manerent fata. Et ecce, hic pacem eis ſuam relinquit, et dat! Dixerat illis, cum primum eos apostolos fecerat: *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum etc. a)* In hoc ipſo ultimo ſermone ipſis iterum prædicit *b)*: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, ſe obſequium præſtare Deo.* Jam eos ad hæc præmunierat, cum diceret *c)*: *Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum ſeparaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die et exultate: quoniam merces veſtra multa est*

a) Matth. X. 16. *b) Jo. XVI. 2.* *c) Luc. VI. 22.*

in cœlo. Hæc eſt pax, quam ſuis relinquit Chriſtus: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Non quomodo mundus dat*, inquit, paulo poſt oſtendens, quid a mundo exemplo ſuo ipſis exſpectandum eſſet. *Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, et vos perſequentur a).* Horum poſtea memores *ibant apoſtoli gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati b).* De his, quæ apoſtolis ſufferenda eſſent, teſtatur D. Paulus I. Cor. IV. 11. etc. *Usque in hanc horam et eſurimus, et ſitimus, et nudi ſumus, et colaphis cædimur, et inſtabiles ſumus, et laboramus operantes manibus noſtris: maledicimur, et benedicimus: perſecutionem patimur, et ſuſtinemus: blaſphemamur, et obſecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema usque adhuc.*

Qualem vero ſe apoſtolus in his, aliisque innumeris afflictionibus, periculis, plagis, verberibus etc. quæ alibi commemorat, præbuerit, prodit, *repletus ſum*, inquit c), *conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione.* Sic et cæteri, quam ipſis reliquit Chriſtus, fruiti ſunt pace: *non quomodo mundus dat*, imo in malis iſtis omni-

a) *Jo. XV.* 20. b) *Act. V.* 41. c) *II. Cor. VII.* 4.

CAPUT CXLV.

bus, quæ mundus dabat, pace Christi ſunt muniti, ut non turbaretur cor eorum, neque formidaret. „Cum ſciret, ſunt verba Origenis contra Celsum infensissimum christiani nominis hostem, et insultatorem *a*), mundi et non Dei fore homines, qui bellum nobis indicerent, addit: *Non quomodo mundus dat pacem, ego do vobis pacem.* In illo autem nostram fiduciam ponimus, etsiamsi in mundo premamur: dixit enim: *In mundo pressuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.* Hæc certe pax unice a Deo est, pax Christi, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura ſunt.* „Perfecta virtus, inquit S. Ambrosius *b*), habet quietis tranquillitatem, et ſtabilitatem; ideo Dominus donum eius perfectioribus reservavit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Perfectorum est enim, non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari ſuspicione, non terrore concuti, non dolore vexari, ſed quasi in littore tutissimo adversus insurgentes fluctus ſæcularium procellarum mentem immobilem fida ſtatione placidare. Hoc firmamentum christianis mentibus Christus invexit, pacem internam invehens animis probatorum; non ut turbetur cor nostrum, neque exa-

a) *Lib. VIII* n. 14. *T. I. p.* 752. *b*) *De Jacob et beata vita Lib. II. n.* 28. *T. I. p.* 468.

gitetur animus. Hanc pacem ſuper omnem mentem esse, apoſtolus doctor asseruit dicens: *Et pax, quæ exſuperat omnem mentem, cuſtodit corda veſtra, et ſenſus in Chriſto Jesu.* Fructus itaque pacis est, non perturbari in pectore. Denique vita iuſti quieta est, iniuſtus autem inquietudinis et perturbationis plenus est. Itaque amplius ſuis ſuſpicionibus affligitur impius, quam alienis plerique verberibus: maioresque vibices vulnerum in eius animo ſunt, quam in eorum corpore, qui ab aliis verberantur." Caput CXLVI.

CAPUT CXLVI.

CHRISTUS AD PATREM REDIT.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est. Jo. XIV. 28.

Cum Filius minor ſit Patre in humana, quam assumpserat, natura, quamque iam vadens ad Patrem, ad eius dexteram erat collocaturus, gaudii utique hoc argumentum et causa esse debebat discipulis magiſtrum ſuum diligentibus, quod vaderet ad Patrem humana indutus natura, quo reſpectu Chriſtus dicit, quia *Pater maior me est:* quod ipſum dicit manifeſto divinitatis

In gloriam ſuam.

Caput CXLVI. ſuæ argumento. Ad quid enim diceret Christus homo, *quia Pater maior me est*, (quod qui diceret, risui se exponeret quilibet homo) nisi ſimul Deus esset; Deum vero se esse probat, ut paulo ante prædicta Judæ proditione Jo. XIII. 19. *Amodo dico vobis, prius quam fiat: ut cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum*, ſcilicet QUI SUM *a*), Jehova. *Et nunc dixi vobis, prius quam fiat: ut cum factum fuerit, credatis:* dum nimirum in procinctu erat ad complendum opus redemtionis nostræ, instaretque tempus, paratis iam cum Juda lictoribus. Hinc addit: *Jam non multa loquar vobiscum:* cum adesset hora nos eripiendi a potestate dæmonis. *Venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quidquam: in me*, inquit *b*), *qui cum in forma Dei esset*, non pro se, ſed pro nobis, *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, ſed* propter nos *ſemetipsum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est ſuper omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

a) *Exod. III.* 14. *b*) *Phil. II.* 6.

De hac igitur gloria gaudere vult Chriſtus discipulos, si se diligerent, de qua mox Patrem rogaturus erat *a*): *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te.* Viditque postea unus ex apostolis ſuperſtes et audivit S. Joannes *b*) *vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et ſeniorum: et erat eorum numerus millia millium dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et ſapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem:* ad quam gloriam iamiam iturus erat per passionem et mortem ſuam amore Patris ſui ſic iubentis. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Surgite, eamus hinc c*).

Hoc dicens a cœna ac cœnaculo se proripit concessurus in hortum Getsemani, ubi captus inde deduceretur ad passionem et mortem, quam pati eum oportuit, et ſic, vadens ad Patrem, intrare in gloriam ſuam. Intelleximus ſupra Cap. CIX. quomodo Christus *dum complerentur dies assumtionis eius, faciem ſuam firmavit, ut iret in Jerusalem;* videmus hic eum cœnaculo egressum, concessurum extra urbem in hortum, quem

a) *Joan. XVII.* 5. *b*) *Apoc. V.* 11.
c) *Joan. XIV.* 31.

CAPUT CXLVI.

ſciebat locum Judas, *quia frequenter Jeſus convenerat illuc cum diſcipulis ſuis a).* Adeſt igitur Judas, adeſt quaſi ex condicto Jeſus: *Jeſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit.* Via hæc erat ad Patrem, per paſſionem et mortem ſuam, de qua dixerat: *Audiſtis, quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem. Vado,* inquit, *et venio ad vos*, uti iam ſupra dixerat: *Quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, et præparavero vobis locum: iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ſum ego, et vos ſitis b).* In cœleſti nimirum patria apud Patrem, ad quem, ſuis quoque paraturus locum, erat iturus, prout eum mox in oratione ultima effatus: *Nunc autem*, ait c), *ad te venio, et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis*, intrantes cum Chriſto *in gaudium Domini ſui*, in gloriam Patris ſui.

a) *Joan. XVIII. 2.* b) *Ibid. XIV. 2.*
c) *Ibid. XVII. 13.*

CAPUT CXLVII.

CHRISTUS VITIS, NOS PALMITES.

Caput CXLVII.

Ego ſum vitis vera: et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jo. XV. 1.

In Christo manentes et fructificantes.

Vitem veram se dicit Christus, ab ea se discernens, quæ erat tantum in figura, infrugifera illa, et maledicta, *quæ exspectata ut faceret uvas, fecit autem labruscas.* De qua toties conqueritur apud prophetas Dominus, cuius operarii in vineam missi, ſervos, ipsumque Christum Dominum Filium æterni Patris, qui hic agricola dicitur, occiderunt. *Nunc ergo habitatores Jerusalem, et viri Juda, iudicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod exspectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas? a)* Et Jerem. II. 21. *Ego autem plantavi vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena?*

Potest etiam dici vitis vera Christus ob *ſanguinem uvæ meracissimum b)*, quem nobis bibendum tradit. „Recte etiam,

a) Isai. V. *b) Deut. XXXII.* 14.

Caput CXLVII. ſunt verba S. Gaudentii Brixienſis *a*), vini ſpecie ſanguis eius exprimitur, quia cum ipſe in evangelio dicit: *Ego ſum vitis vera*, ſatis declarat, ſanguinem ſuum esse omne vinum, quod in figura passionis eius offertur. Unde patriarcha Jacob de Christo prophetaverat, dicens: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, et in ſanguine uvæ amictum ſuum*, ſtolam quippe nostri corporis indumentum ſuum, proprio ſanguine abluturus. Ipse igitur naturarum creator, et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rurſus (quia et potest, et promiſit) efficit proprium corpus: et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino ſanguinem ſuum." Intima coniunctio, qua nos palmites in Christo vite ſumus haud melius, quam in participatione corporis et ſanguinis Christi in Eucharistia declaratur, qua velut in ſuccum eius et ſanguinem convertimur.

Tum vero vigor noster omnis ſpiritualis in Christo hac ſimilitudine pluribus ab ipſo Christo conſequenter declaratur: ut nec aptius aliquid vite in rerum natura excogitari poſſit, viliſſimi extra vitem et exilis ligni, in vite autem feraciſſimum ſucci, vini, *quod lætificat Deum, et hominem b*). *Manete*, inquit *c*), *in me: et ego in vobis. Sicut palmes*

a) *Serm. II. p.* 33. *b*) *Jud. IX.* 13.
c) *Joan. XV.* 4.

non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil potestis facere. Doctrinam hanc paſſim D. Paulus in ſuis epiſtolis illustrat tum quod neceſſariam prorſus gratiæ Christi influentiam attinet, cum etiam compagem illam membrorum corporis Christi I. Cor. XII. et Eph. IV. *Quo creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate*, ſed non niſi in vite. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, et areſcet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* Pulchre hic Clemens Alexandrinus ad id, quod primo ſtatim dixerat Christus, reſpiciens: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*, eorum errorem præoccupat: „Qui, ut inquit *a*), ſolam fidem requirunt: perinde ac ſi, cum nullam vitis curam gesserint, velint ab initio ſtatim botros accipere. Dicitur autem Dominus vitis allegorice, a quo cum diligentia, et agri colendi arte, quæ ſit ratione et ſermone, fructus eſt vin-

a) *Lib. I. ſtromat. p.* 291.

Caput CXLVII. demiandus. Putare oportet, fodere, ligare, et reliqua facere. Falce, ut ſentio, et ligone, et aliis rusticis instrumentis ad vitis curam opus est, ut nobis fructum producat esculentum." Et in Pædagogo lib. I. p. 115.: „Silvescit enim, inquit, vitis, nisi putetur; ita etiam homo. Luxuriantes autem adnatasque propagines, verbum, qui est gladius, expurgat, cogens appetitiones, ne fructum ferre desiderent. Eorum autem, qui peccant, increpatio habet ſcopum ſalutem, verbo se concinne applicante pro propriis, uniuscuiusque moribus, et alicubi quidem vehementi, ac intenso; alicubi autem laxo ac remisso." Propius hoc S. Jo. Chrysost. in h. l. de ærumnis apostolis inducendis exponit. Universim vero apostolus loquitur: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Nec de externa tantum vi res agitur; quisque ſibi ipsi vim inferre debet: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Vi maxima naturæ corruptio et vitiositas opus habet. Abscindenda est manus, pes, oculus, qui ſcandalizat: purganda, putanda est vitis unde palmes fructuosior efficitur. Hinc ostenditur tentationes fortiores efficere nos, et quævis mala, quæ patienter ac fortiter perferimus, aut ipsi nobis inferimus. Quod quo ſeveriores in nos ipsos facimus, eo meliores, dignioresque nos conductitios

divini vinitoris operarios exhibemus, qui omnem palmitem, qui fert fructum, purgat, ut fructum plus afferat. Exemplum illuſtriſſimum Ecclesia primitiva per Christum in apostolis, ac deinceps per priora persecutionum ſæcula præbet, tempus putationis illius, qua tam ſtupendum in modum excrescens vinea Domini, Ecclesia, totum tam ſubito replevit orbem ſanguine martyrum Christi irrigata, quasi ſanguine uvæ in vaticinio patriarchæ Jacob de Christo Gen. XLIX. 11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, et ſanguine uvæ pallium ſuum.*

Caput CXLVIII.

CAPUT CXLVIII.

PERFECTIO CHARITATIS EXEMPLO CHRISTI.

In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut et ego Patris mei præcepta ſervavi, et maneo in eius dilectione. Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, et gaudium veſtrum impleatur. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Jo. XV. 8. etc.

Vitam dantis pro nobis.

Supra vidimus, cœleſtem Patrem a dilecto Filio ſuo per mortem et paſſionem fuiſſe clarificatum. Chriſtum etiam audivimus nos hortantem: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos et malos, et pluit ſuper iuſtos et iniuſtos;* ut nimirum nos ad dilectionem inimicorum inſtrueret. Hoc vero Chriſtus nos maxime ſuo exemplo docuit, et plus fecit, quam hoc in ſermone ad

perfectionem charitatis poſuit: *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, quales nos nimirum fecit, Patri reconciliatos. *Ut quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus, pro impiis mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt a)*. Commentarius quidam ſunt hæc apoſtoli verba præcepti charitatis ſecundum id, quod notavimus, Chriſti pro nobis vitam ponentis exemplum, qui iubemur et inimicos diligere, atque adeo amicorum loco habere, ut diligamus invicem, ſicut dilexit nos. Modo dixerat: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* Eſt hoc, quod legitur Jo. III. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ad Evangelium hoc ſalutis humanæ per univerſum orbem denunciandum Chriſtus apoſtolos ſelegit dicens: *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos*; nempe, *ſicut oves*, ut alibi dicit, *in medio luporum*, exemplo magiſtri *ſicut ovis ad occiſionem*, ad animas ſuas ponendas, ſanguinemque effundendum pro Chriſto, *ut* nempe *clarificetur*

a) Rom. V. 6. etc.

CAPUT CXLVIII.

Pater in Filio. Quod pertinet ad primum et maximum mandatum Dei nimirum; ſecundum vero *ſimile huic*, quia in primo concentratur, omnia ſcilicet ad finem unum referendo, gloriam Dei: *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli*, nempe, *ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.* Est hoc ſublime illud myſterium, per quod, ut diximus, utrumque dilectionis præceptum, *in quo universa lex pendet et prophetæ*, concentratur. „Ipsa est, ait S. Augustinus *a*), dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus, *ſicut dilexi vos.* Quid enim nisi Deum dilexit in nobis? Non quod habebamus, ſed ut haberemus: ut perducat nos, ſicut paulo ante dixi, ubi ſit Deus omnia in omnibus. Sic etiam medicus recte dicitur ægros diligere: et quid in eis nisi ſalutem diligit, quam cupit utique revocare, non morbum, quem venit expellere? Sic ergo et nos invicem diligamus, ut quantum poſſumus, invicem ad habendum in nobis Deum cura dilectionis attrahamus." Hoc fuerat tunc opus grande apostolicum, ad quod instruendo discipulos ſuos, eisdem toties in hoc ultimo ſermone perfectionem dilectionis mutuæ ſicut dilexit nos, et cum ipsis etiam nobis inculcavit, ut *ſicut Christus animam ſuam pro nobis*

a) *Tract. LXVI. in Jo. n. 2. T. III. P. II. p. 675.*

poſuit, ſic et nos pro fratribus debeamus animam ponere a). Caput CXLIX.

CAPUT CXLIX.

AMICI DEI SIMUS, NON SERVI.

Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Jo. XV. 13. etc.

„O rem mirabilem! exclamat S. Auguſtinus *b*), cum ſervire non poſſimus, niſi præcepta Domini fecerimus, quomodo præcepta faciendo ſervi non erimus? ſi ſervus non ero præcepta faciendo, et niſi præcepta fecero, ſervire non potero: ergo ſerviendo ſervus non ero.“ Servos paulo poſt iterum vocat: *Non eſt ſervus maior domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, et vos perſequentur.* Ut alibi in eodem argumento dicitur: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Eſt vero hæc ipſa magiſtri erga diſcipulos ſuos dignatio, quod ceu intimis amicis omnia, quæcunque audivit a Patre ſuo, nota eis fecerit. Præmiſit vero: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis,* Charitate.

a) *Joann. III.* 16. b) *Tract. LXXXV. in Joann. T. III. P. II. p.* 711.

Caput CXLIX.

quæ ego præcipio vobis. Omnia mandata Dei in præcepto charitatis coadunantur, de quo dudum dixerat Christus, in duobus præceptis univerſam legem pendere, et prophetas, charitatis Dei nempe et proximi, quæ unice in hoc ultimo ſermone inculcatur: *Si diligitis me, mandata mea ſervate. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea. Mandatum novum do vobis*, et *a*): *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Id iam in eo erat, ut faceret, moriturus pro nobis in cruce, iuxta œconomiam Evangelii Christi Verbi divini incarnati, de qua dicit Christus: *Quia omnia, quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, amicis ſcilicet meis, de quibus dixerat: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Et ſupra *b*): *Qui habet mandata mea, et ſervat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo. Et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Quicunque nempe ex illis est, de quibus dicit: *Vos amici mei estis etc.* Qualis fuit Nicodemus, qui Jo. III. venit ad Jesum de nocte, cui ex parte quidem obscurius totam Evangelii Christi Verbi divini incarnati œconomiam pandit: *Nemo*, inquit, *ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. Et ſicut*

a) *Joan. XV.* 12. *etc.* *b*) *Ibid. XIV.* 21.

Moyſes exaltavit ſerpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Fuit hic Nicodemus *a*), qui in ſynedrio Judæorum, cum decernerent interficere Christum, eius defensorem egit, et cum Josepho de Arimathea *b*) unxerat corpus Jesu, quando apostoli fugam arripuerant, de quibus dixerat: *Jam non dicam vos ſervos etc.*

Recte vero, ut non ſimus ſervi, S. Augustinus ſervilem excludit timorem, quem foras mittit charitas ab illis, de quibus apostolus *c*): *Non enim accepistis ſpiritum ſervitutis iterum in timore.* Sic idem apostolus etiam ſervos dominis ſuis obedire vult *in ſimplicitate cordis vestri, ſicut Christo. Non ad oculum ſervientes, quasi hominibus placentes, ſed ut ſervi Christi, facientes voluntatem Dei cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino et non hominibus d*), procul ſpiritu ſervitutis in timore. Igitur ab hac ſervitute liberi ſunt, quibus dicit: *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus nescit, quid faciat dominus eius.* „Non utique ille ſervus, pergit S. Augustinus, pertinens ad timorem castum, cui dicitur:

a) *Joan. VII.* *b*) *Ibid. XIX.* 38. *c*) *Rom. XI.* 20.
d) *Eph. VI.* 5.

CAPUT CXLIX.

Euge, ſerve bone, intra in gaudium Domini tui: ſed ille ſervus pertinens ad timorem foras a charitate mittendum, de quo alibi dicit: *ſervus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum.* Quoniam itaque dedit nobis poteſtatem, filios Dei fieri, non ſervi, ſed filii ſimus: ut miro quodam et ineffabili, ſed tamen vero modo ſervi non ſervi eſſe poſſimus: ſervi ſcilicet caſto timore, ad quem pertinet ſervus intrans in gaudium Domini ſui; non ſervi autem timore foras mittendo, ad quem pertinet, ſervus non manens in domo in æternum. Ut autem tales ſervi non ſervi ſimus, Dominum facere ſciamus. Hoc autem ſervus ille neſcit, qui neſcit, quid faciat Dominus eius; et cum aliquid boni facit, ſic extollitur, quaſi hoc ipſe faciat, non Dominus eius; et in ſe, non in Domino gloriatur, cum ſe ipſe deceperit, quia ſic gloriatur, quaſi non acceperit. Nos autem chariſſimi! ut amici Domini eſſe poſſimus, quid noſter Dominus faciat, ſciamus. Non enim ſolum homines, verum etiam iuſtos ipſe facit nos, et non ipſi nos. Et ut hoc ſciamus, quis niſi ipſe facit? *Non enim Spiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis.* Ab ipſo, quidquid boni eſt, donatur. Ergo quia et hoc bonum eſt, ab ipſo utique donatur, ut ſciatur, a quo bonum omne donetur: ut omnino de omnibus

bonis, *qui gloriatur, in Domino glorietur.* " Add. quæ ſequenti ſermone in illa verba: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*, in eandem ſententiam loquitur. Caput CL.

CAPUT CL.

MISSIO SPIRITUS S. PARACLETI.

Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio: De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iustitia vero, quia ad Patrem vado, et iam non videbitis me: de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Joan. XVI. 7. etc.

De plenitudine Spiritus ſancti in apoſtolos die Pentecoſtes effuſa hic ſermo eſt. „Spiritus ſanctus, inquit S. Gregorius Nazianzenus *a*), in Chriſti diſcipulis vim ſuam exercuit trifariam, tribusque temporibus, prout ipſorum captus ferebat: nempe antequam Chriſtus per paſſionem glorificatus eſſet: poſtquam per reſurrectionem glorifi- Ad iudicium porro mundi, mundanorum Judæorum.

a) *Orat. de feſto Pentec.*

CAPUT CL.

catus fuit: ac denique poſt eius in cœlum aſcenſum. Hoc autem perſpicue oſtendit tum prima illa morborum, ſpirituumque depulsio, quæ ſcilicet non abſque Spiritus numine fiebat; tum illa poſt confectum ſalutis noſtræ negotium inſufflatio, quæ divinioris procul dubio inſpirationis ſpecimen habebat; tum poſtremo præſens hæc ignearum linguarum diviſio, quam ſolemni feſto celebramus." Quem primum ſermonem poſt acceptum Spiritum ſanctum ad populum Judaicum Act. II. 22. etc. habuit Petrus apoſtolus, is ea omnia in ſe continet, quæ hic a Chriſto de Spiritu ſancto dicuntur: primum, *arguet mundum de peccato*, ut per os Petri fit Judæis exprobrantis: *Viri Iſraelitæ! audite verba hæc: Jeſum Nazarenum, virum probatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut et vos ſcitis, hunc definito conſilio et præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemiſtis.* En peccatum Judæorum, de quo eos Spiritus S. arguit: *Quia non crediderunt in me*, nec agnoverunt Meſſiam: convincuntur autem, quantum in hoc peccatum commiſerint: *Certiſſime ſciat ergo*, ut Petrus ſermonem ſuum concludit, *omnis domus Iſrael, quia et Dominum eum, Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis. His autem auditis compuncti ſunt etc. De iuſtitia vero*, quod eſt ſecundum, *quia*

ad Patrem vado, et iam non videbitis me, poſtquam iam perfunctus ſum munere Meſſiæ, a quo vos perperam regnum David terrenum reſtituendum exiſtimabatis, regemque verſaturum inter vos in hoc mundo, me illum etc. nempe, *quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, quod impoſſibile erat teneri illum ab eo: Quia* ſcilicet *princeps huius mundi iam iudicatus est:* quod est tertium *de iudicio*, quo diabolus, per quem peccatum venit in hunc mundum, et totum genus humanum pervaſit, atque ſibi obnoxium habuit, regno ſuo exutus eſt per Chriſtum, *quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni*, hominibus nimirum a pœna æternæ damnationis liberatis, infernalis ignis, *qui diabolo et angelis eius paratus est*, a quo *impoſſibile erat teneri illum.* Deinceps vero hæc ex pſalmiſta David confirmans, atque recapitulans: *Providens*, pergit apoſtolus, *locutus est de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promiſſione Spiritus ſancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et auditis. Non enim David aſcendit in cœlum: dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.*

CAPUT CL.

Porro quæ dixit: *Dextera igitur Dei exaltatus, et promiſſione Spiritus ſancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et auditis* in compendio ſunt, quæ Christus apoſtolis in ultimo ſermone de Spiritu ſancto paracleto explicavit: *Quem*, inquit *a*), *mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia, et ſuggeret omnia, quæcunque dixero vobis.* Nempe ut poſtea dicit *b*): *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, et quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Ille de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Quæ divinam continent de SS. Trinitatis myſterio theologiam, paſſim ab interpretibus S. Scripturæ et theologis hic explicatam. Vid. Maldonatus in h. l.

a) *Joan. XIV.* 26. *b*) *Ibid. XVI.* 12.

CAPUT CLI.

TRISTITIA HUJUS SÆCULI CONVERTENDA IN GAUDIUM.

Caput CLI.

De hoc quæritis inter vos, quia dixi: modicum, et non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. XVI. 19. etc.

Æternum in cœlis.

Aderat iam ipsa hora, qua modicum non essent visuri magistrum ſuum discipuli (tradendum in manus peccatorum, ad illudendum, flagellandum, et crucifigendum) et iterum post modicum visuri resurgentem. Sed non huc ſolum restringi hoc modicum, indicat comparatio, quæ ſequitur, mulieris, quæ, *cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.*

Mittendi erant apostoli in universum mundum, prædicare evangelium omni creaturæ, non unum tantum hominem, ſed innumeros Christo regeneraturi, idque cum dolore parturientis pressuram habituri in

Caput CLI.

mundo, ac plerique etiam in violenta morte cum Chriſto. Hæc iam omnia hoc ipso in ultimo ſermone post cœnam eis prædixerat Christus Joan. XV. 18. etc. *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.* O quantum hoc ſolatium omnibus, qui in hoc mundo premuntur, et affliguntur a mundo! de quibus vere dici potest: *Quia vero de mundo non estis, ſed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est ſervus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, et vos perſequentur. Si ſermonem meum ſervaverunt, et vestrum ſervabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me.* Nunquam quidem desunt fata huiuscemodi in Eccleſia etiam inter fideles, ſed dira præsertim primis illis temporibus ab apostolis, apostolicisque viris fuerunt perferenda, quæ Christus illis prædicens, *ut*, inquit *a*), *non ſcandalizemini. Absque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, se obsequium præstare Deo.* Brevi hæc experti ſunt apostoli, ideo a Christo prædicta, *ut*, ſicut ait, *cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis;* nempe, ut ſese in omnibus malis hisce ſolarentur, non quod tristitiam non ſentirent in illis, ſed quod ſcirent, tristitiam converten-

a) *Joan. XVI. 1. etc.*

dam in gaudium. Certos eos iam reddiderat magiſter veritatis *a)*: *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum, et mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis. Et in illo die cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis*, in æterna nimirum illa, poſt hanc miſeram, ac unice felici vita, de qua iuxta eundem apoſtolum et evangeliſtam aquilam *b)*: *Scimus, quoniam, cūm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*, non iam *per ſpeculum in ænigmate*, ſed *facie ad faciem c)*: quam theologi viſionem intuitivam appellant; dum modo nec ipſam animam noſtram cognoſcimus, niſi abſtractive tantum, et *ex parte*, iuxta apoſtolum: *Tunc autem cognoſcam, ſicut et cognitus ſum*, a Deo nimirum, ut S. Thomas interpretatur, quo ipſo ſummo bono ero beatus: quippe qui „ſeipſum, ut cum S. Auguſtino loquar *d)*, quo melius aut maius nihil eſſe poſſit, promiſit. Quid eſt enim aliud, quod per prophetam dicit: *Ero illorum Deus, et ipſi erunt mihi plebs:* niſi ego ero, unde ſatientur? ego ero, quæcumque ab hominibus honeſte deſiderabuntur, et vita, et ſalus, et victus, et copia, et gloria, et honor,

a) Joan. XIV. 18. etc. *b) I. Joan. III. 2.* *c) I. Cor. XIII. 12.* *d) Lib. XXII. de Civit. Dei, c. 30. totius operis ultimo.*

CAPUT CLI.

et pax, et omnia bona: ſic enim et illud recte intelligitur, quod ait apostolus: *Ut ſit Deus omnia in omnibus.* "

Nec dubitare poterant apostoli perinde in prosperis, quæ consecutura erant, certum esse vaticinium, ac in malis, quæ fuerant præcessura: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habebitis: iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Tristitia nempe huius miseræ vitæ cum tempore transibit, gaudium autem manebit in æterna felicitate, ut iam discipulorum animos præmunierat Christus a): *Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum ſeparaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo.*

a) *Luc. VI. 22.*

CAPUT CLII.

CHRISTUS ADVOCATUS NOSTER APUD PATREM.

Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, et accipietis, ut gaudium vestrum ſit plenum. Hæc in proverbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annuntiabo vobis. *In illo die in nomine meo petetis: et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Joan. XVI. 23. etc.

Habes hic una periodo totam Evangelii œconomiam, quomodo Verbum divinum, quod erat in ſinu Patris, exivit a Patre, venit in mundum, iamque in eo erat, ut iterum relinqueret mundum, rediretque ad Patrem, tam probe intellectam ab apostolis, ut dicerent: *Ecce iam palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc ſcis*

In quibuscunque necessitatibus.

Caput CLII.

mus, quia ſcis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget: in hoc ſcimus, quia a Deo existi. Quis vero mentis affectus esse debuit charis discipulis, debetque omnibus esse electis Christi fidelibus, dum Christum audiunt ſolita ſua iuramenti formula asseverantem: *Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Christum ſecum habebant hactenus apostoli, qui curam omnem de ſuis in se ſuscipiebat, ut nihil ipsis deesset; etiamsi ſine ſaculo et pera eos misisset: nec ſubiit cogitatio quemquam eorum, aliquid Patrem in Christi nomine petendi; nunc autem a Christo relinquendi, ſicut oves in medio luporum mittendi, petere iubentur ſecuri, quod acciperent, non ſolum necessaria vitæ, ſed quibuscunque in tantis periculis et angustiis adminiculis in munere ſuo apostolico opus habere possent, *ut gaudium vestrum*, ait, *ſit plenum*, in profectu ſcilicet, ac prospero prædicationis evangelicæ ſuccessu. Sic passim apostoli in Actis Apostolorum gaudentes inducuntur: ante omnia autem post primam reclusionem e carcere Act. IV. *unanimiter levaverunt vocem ad Deum . . . Et nunc domine* rogant fiducialiter, *respice in minas eorum, et da ſervis tuis cum fiducia loqui verbum tuum: in eo quod manum tuam extendas ad ſanitates, et ſigna, et prodigia fieri per nomen ſancti Filii tui Jesu.*

Quæ ſimul teſtificatio eſt de ſignis, quæ Pater cœleſtis quaſi non rogatus faciebat per manus apoſtolorum. Quanta vero in ipſum cœleſtem Patrem fiducia eſſe debet veris Chriſti amatoribus, dum a Chriſto audiunt? *In illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia rogabo Patrem de vobis: Ipſe enim Pater amat vos! In illo die*, inquit, ſciens, quid proxime eſſent facturi diſcipuli, qui modo tam intime perſuaſi, tenerrimeque affecti tam confidenter dicunt: *In hoc credimus, quia a Deo exiſti? Reſpondit eis Jeſus: Modo creditis? Ecce venit hora, et iam venit, ut diſpergamini unusquisque in propria, et me ſolum relinquatis: et non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* Poſtrema hæc verba futura erant etiam diſcipulorum Chriſti conſolatio, quibus ipſe, eos modo relicturus, dixerat: *Vado et venio ad vos. Non relinquam vos orphanos, ſed veniam ad vos*, qui eſt in Patre, et Pater in ipſo cum Spiritu ſancto, quem mittendum promittit. Caput CLII.

Caput CLIII.

CAPUT CLIII.

PAX, ET FIDUCIA IN CHRISTO VICTORE MUNDI.

Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite ego vici mundum. Joan. XVI. 33.

Complementum ultimi ſermonis Christi ad discipulos.

Est hæc concluſio ultimi ſermonis Chriſti ad diſcipulos ſuos, antequam pateretur: in quo ſermone maxime elucet ſublime in Evangelio Chriſti: atque adeo S. Joannem eum nobis referre attinebat, aquilam illam inter evangeliſtas ſublimius volantem. Auſpicatur ſermonem hunc ultimum Chriſtus, poſtquam ſummo humilitatis actu diſcipulorum pedes lavaſſet; ſummoque charitatis monumento ſeipſum in cibum et potum dediſſet, reliquiſſetque in ſacrificii ſui cruenti memoriam incruentum ſacrificium.

Non turbetur cor veſtrum, infit a), *creditis in Deum, et in me credite.* Quibus verbis ante omnia fidem in se æqualem Patri unigenitum Filium Dei firmat, ne turbentur ob ea, quæ iam circa ipſum in paſſione ſua eſſent agenda, qua ſuis locum eſſet in domo Patris ſui paraturus, ſi manendo

a) *Joan. XIV.*

in dilectione, mandata eius ſervaverint, omnia edocti per Spiritum ſanctum, quem promittit, ſuamque pacem eis relinquit, ne turbentur aut formident; ſed manendo in Christo, ſicut palmes in vite *a)*, fructum plurimum afferant, ſerventque præcepta in mutua dilectione, a mundo quidem odio habiti *b)*; persecutiones et quævis mala perpessi exemplo magistri, quæ mala deinceps eisdem aperit, ac iterum Spiritum paracletum consolatorem, ſeque advocatum pollicetur apud Patrem, cuius nomine quidquid petierint, ſint obtenturi, tanto ſecurius certiusque, quod ipse Pater eos amet. Demum postquam iterum repetiisset, clariusque eorum proximam fugam prædixisset, concludens omnem ſermonem: *Hæc*, inquit, *locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis.*

Paulo ante in eodem hoc ſermone eos edocuerat, ut vidimus, quæ ſit pax Christi inter media mala huius vitæ, ærumnas et persecutiones, quas hic iterum prædicit, ſed in fiduciam erga se erigit certus de victoria, quam de mundo reportatum ibat. *Confidite: ego vici mundum.* Non, ſicut maximus quisque heros, in incertum pugnans, aut ſuos commilitones ambiguæ committens pugnæ, ſed indubios ſuo exemplo victores, quando corpus patitur, et ſuccumbit; in

a) Joan. XV. *b) Ib. XVI.*

Caput CLIII.

patientia vero nostra anima poſſidetur noſtra. „Ac nos quidem, ſunt verba Origenis, qui medias adhuc inter perſecutiones Eccleſiæ vixit *a*), cum tentanti Deus dat nos perſequendi poteſtatem, perſecutionem patimur; cum autem vult nos Deus ab illa immunes eſſe, vel in medio mundo, nos odio habente, pacem agimus incredibilem, confiſi tutela eius, qui dixit: *Confidite, ego vici mundum.* Et revera vicit mundum, et propterea tamdiu poteſtatem habet mundus, quamdiu vult eius victor, qui illius vincendi accepit a Patre poteſtatem. Hac eius victoria confidimus. Quod ſi nos rurſus in certamen venire et pietatis cauſa decertare voluerit, accedant hoſtes; iſtud ex nobis audient: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*, Chriſto Jeſu Domino noſtro. Nam ex duobus paſſeribus, qui aſſe veneunt, unus in laqueum non cadit ſine Patre, qui in cœlis eſt: et ideo omnia complexa eſt divina providentia, ut ab illa vel capilli noſtri numerati ſint."

Præteriere diriſſima perſecutionum priora ſæcula, diu in pace fuit Eccleſia, periculoſiſſima adhuc imminent noviſſima tempora; ad omnia paratus eſſe debet pugil chriſtianus: nunquam in hoc mundo deſunt „patientiæ (ut vocat S. Cyprianus *b*),

a) *Contra Celſum L. VIII. n.* 70. *T. I. p.* 794. *b*) *P.* 148

se aliosque ſingulari libro *de bono patientiæ* immanis persecutionis tempore animans, armansque christianos) ſolatia, quæ cum apta ſint et necessaria in isto mundo universis, tum magis nobis, qui diabolo impugnante plus quatimur; qui in acie quotidie ſtantes, inveterati et exercitati hostis conflictationibus fatigamur: quibus præter varias et assiduas tentationum pugnas, in persecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda ſunt, ſubeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pænarum genera fide et virtute patientiæ perferenda, Domino ipso instruente et dicente: *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo autem pressuram habebitis; ſed fidite, quoniam ego vici mundum.* Si autem qui diabolo et mundo renunciavimus, pressuras et infestationes diaboli et mundi crebrius ac violentius patimur, quanto magis patientiam tenere debemus, qua adiutrice et comite omnia infesta toleremus? Domini et magistri ſalutare præceptum est: *Qui toleraverit*, inquit, *usque ad finem, hic ſalvus erit.* Et iterum: *Si permanseritis*, inquit, *in verbo meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* "

CAPUT CLIII.

Veritate hac ſe liberari non patiebantur Judæi, quibus ultimus eorum propheta Malachias *a)* verbis ultimis prophetiæ ſuæ promiſit peculiarem ipſis prophetam Eliam præcurſorem in primo adventu ſuo Domini, *ut convertat corda patrum in filios, ne forte veniam, et percutiam terram anathemate*, quod factum eſt, quando Chriſtus vicit mundum, toties, quoties de eo ſermo in Evangelio, reprobatum, ab ultima etiam Chriſti ad Patrem oratione (ut mox videbimus) et redemtione excluſum, quippe qui eum non cognovit: dumque Chriſtus dicit: *Confidite, ego vici mundum*, ſuis animus adiicitur, ut cum magiſtro crucifixo preſſuram habentes in mundo, cruci etiam affigant mundum, ut de ſe D. Paulus profitetur *b)*, *per quem mihi mundus crucifixus eſt, et ego mundo.*

a) Malach. IV. 6. *b) Gal. VI.* 14.

CAPUT CLIV.

ORATIO CHRISTI PRO CLARIFICATIONE.

Hæc locutus est Jesus, et ſublatis oculis in cœlum dixit: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te ſolum Deum verum, et quem miſiſti Jesum Christum. Joan. XVII. 1. etc.

Tandem Christus ultima hac oratione, quam elevatis oculis in cœlum auspicatur, ſese victimam Deo Patri offert mox in cruce futuram. Sicuti nos orare docuit *Pater noster, qui es in cælis*, ita elevatis in cœlum oculis orditur: *Pater!* mox pro nobis ſacrificaturus se in carne, quam assumendo, et cum verbo divino hypostatice uniendo consortes nos divinæ naturæ effecit, ut unum eundemque cum eo haberemus Patrem. *Pater*, inquit, *venit hora, clarifica filium tuum.* Venit hora passionis, qua ipſa ut ſupra vidimus, etiam clarificaturus erat Patrem. „Sed, ait S. Augustinus *a*), si passione clarificatus dicitur, quanto ma-

Sua, et nostra per Deum et in Deo.

a) *T. CV. in Joan. n.* 3. *T. III. P. II. p.* 759.

Caput CLIV. gis reſurrectione? Nam in paſſione magis eius humilitas, quam claritas commendatur, Apoſtolo dicente: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Deinde ſequitur, et de eius clarificatione iam dicit: *Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit ei nomen, quod est ſuper omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hæc est glorificatio D. N. J. C. quæ ab eius reſurrectione ſumſit exordium.“ Et paulo poſt: „Quod ergo ait: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum,* ſic intelligendum est, tanquam dixerit: venit hora ſeminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis:“ Quærit iam quid ſibi velit, quod ſequitur: *ut Filius tuus clarificet te,* reſpondens autem tractatu ſequenti breviſſime, „tanquam, ait, diceret: reſuſcita me, ut innoteſcas toti orbi per me.“ Hoc est quod ſequitur: *ut Filius tuus clarificet te, ſicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Hæc non contrariari ei, quam ſupra (Cap. 81.) expoſuimus, Christi clarificationi per paſſionem et mortem in reſurrectione ſua, dicta conferenti pateſcet. Christus ſatisfaciendo æterno Patri, per paſſionem et mortem ſuam clarificavit Patrem ſuum, iustitiam et miſericordiam eius mani-

ſestando erga genus humanum, ut ad finem, ad quem a Deo creatus est, redire posset, quem hic vocat vitam æternam; *Hæc est autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, et quem miſiſti Jesum Christum a)*, hic nempe in fide, quasi in ſpeculo, illic autem in ſpecie, facie ad faciem in cœlis: ut hic ſit vita æterna, quam alias dicit regnum ſuum, nempe ecclesiam fidelium in præsenti vita, in altera autem ecclesiam ſanctorum cœlestem in felicitate æterna.

Sic Deus est omnia in omnibus in cœlo et in terra ad gloriam ſuam, tanquam finem ultimum omnium rerum, manifestandam, ac se ceu ſummum bonum participandum a nobis. Postquam Deus se in operibus ſuis manifestaverat in creando, gloriam vero, quam ei reddere rationalis creatura homo in hoc orbe terraqueo debuisset frustratus peccando fuerat, venit Christus Verbum divinum in terram: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis b)*, gratiæ nimirum plenum et ſuperabundans in genus humanum, in gratiam per Christum receptum (unde nato Domino angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus*) veritatis autem plenum in ipsa manifestatione divinæ gloriæ, quæ nulla

a) *Joan. XVII.* 3. b) *Ib. I.* 14.

CAPUT CLIV.

unquam re magis, quam in Verbi divini Incarnatione enituit, opere redemtionis noſtræ per Christum, de quo ipse, cœlestem Patrem affatus, *Ego*, inquit, *te clarificavi ſuper terram: opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Petierat iam a Patre Christus *a*): *Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Venit hæc vox de cœlo, dum *quidam gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo*, accedentes ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galileæ trans Jordanem in confinibus, unde etiam Petrus et Andreas ortus erat, *rogabant eum dicentes: Domine volumus Jesum videre. Venit Philippus et dicit Andreæ: Andreas rursum, et Philippus dixerunt Jesu.* Non frustra hæc ita articulatim recensentur, ſiquidem Patrem ſuum clarificaturus erat per apostolos, in universum mundum, ad prædicandum Evangelium omni creaturæ missos. Ut nimirum Gentiles, abiecto cultu falsorum deorum, agnoscant *te ſolum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum b*), Messiam Judæis promissum. Hunc apostoli, quem Judæi reiecerunt, Gentilibus prædicarunt. Est hoc, quod Christus antea iam in ultimo ante passionem ſuam ſermone dixerat apostolis: *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli c*).

a) *Jo. XII.* 28. *b*) *Ib. XVII.* 3. *c*) *Ib. XV.* 8.

Conſideravimus ſupra glorificatum Chriſtum et Deum clarificatum in eo per paſſionem et mortem ſuam, in cruce exaltatum, qualem mortem, dum ille Petro denuntiaſſet, addit evangeliſta *a*): *Hoc autem dixit, ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Sic Chriſtus de ſeipſo, dum a cœna ultima eum proditurus exiſſet Judas, loquitur, iam paſſurus ac moriturus in cruce *b*): *Nunc clarificatus eſt Filius hominis: et Deus clarificatus eſt in eo. Si Deus clarificatus eſt in eo, et Deus clarificabit eum in ſemetipſo: et continuo clarificabit eum.* Eſt hoc, quod in propoſito nobis textu Jo. XVII. 5. ſequitur: *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te,* ad dexteram nimirum tuam in cœleſti ſolio tuo, quo reſurgens ex mortuis erat elevandus.

Caput CLIV.

Quemadmodum igitur Pater clarificavit Filium poſt reſurrectionem et aſcenſionem in cœlum in gloria ſua ad dexteram ſuam collocando; ſic Chriſtus clarificavit Patrem ſuum humanam naturam aſſumendo, eumque hominibus per Evangelii prædicationem manifeſtando, per paſſionem et mortem vero ſuam plene eius iuſtitiæ ſatisfaciendo pro nobis, ut et Filius clarificaret Pa-

a) *Io.* XX. 19. *b*) *Ib.* XIII. 31. *etc.*

Caput CLV.

trem in nobis hic, et in æternum: nempe, *ut Filius tuus clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, et quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, qui nos participes redderet vitæ æternæ in Deo, facie ad faciem eum videndo, cognoſcendoque ſicuti eſt.

CAPUT CLV.

ORATIO PRO APOSTOLIS.

Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dediſti: et ſermonem meum ſervaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt: quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis: et ipſi acceperunt, et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me miſiſti. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt: et mea omnia tua ſunt, et tua mea ſunt: et clarificatus ſum in eis.* Et iam non ſum in mundo, et hi in mundo ſunt, et ego ad te venio. Joan. XVII. 6. etc.

Non pro mundo.

Postquam pro ſua clarificatione oravit Chriſtus, iam pro apoſtolis ſuis orat, quibus

ſpecialiter manifeſtavit nomen Patris; quod ipsi deinceps manifeſtarent per orbem terrarum, et quod ipsi in aure audierunt, prædicarent ſuper tecta. Teſtimonium eis reddit, quod ſermonem ſuum ſervaverint. *Et nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dediſti mihi abs te ſunt: et cognoverunt, quia a te exivi.* Quod dicit: *Nunc*, ad ſermonem ultimum, quem modo præ oculis habuimus ſingulariter referendum eſt, in cuius fine palam profitentur diſcipuli, perfectam Evangelicæ doctrinæ fidem ſe habere: *Ecce*, aiunt, *iam palam loqueris etc.* poſtquam nempe ultimo ipsis dixiſſet, ſe exiſſe a Patre, et veniſſe in mundum, et redire ad Patrem. Quibus verbis totum Evangelium divini verbi pro ſalute humana incarnati continetur: ea terribili reſtrictione, quæ ſequitur. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Quæ in verba S. Auguſtinus, „ mundum vult modo intelligi, ſcribit *a*), qui vivunt ſecundum concupiſcentiam mundi, et non ſunt in ea ſorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo". De mundo loquitur, de quo ſupra Jo. XV. 18. *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret, quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. Mementote*

a) *Tr. CVII. in Jo. n. 1. T. III. P. II. p. 767. etc.*

CAPUT CLV.

ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, et vos perſequentur. Si ſermonem meum ſervarunt, et veſtrum ſervabunt. Rem iterum Chriſtus poſtea ediſſerit *a*): *Ego dedi eis ſermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut et ego non ſum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos de malo.* Quia nimirum ut alibi loquitur Joannes *b*): *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* Et in oratione Dominica dicimus: *Libera nos a malo*, a dæmone ſcilicet, et mundo in maligno poſito. Non vult tolli eos de mundo, nam *ſicut tu me miſiſti in mundum, et ego miſi eos in mundum c*). Nempe dum eis dixit: *Ite in univerſum mundum, et prædicate Evangelium omni creaturæ.* Miſit eos ſicut ipſe a Patre miſſus fuerat, et clarificatus eſt in eis, dum *cognoverunt*, ait, *vere, quia a te exivi. Et ſervaverunt ſermonem meum,* ſervaturique erant Evangelium, quod acceperunt prædicandum in univerſo mundo, quem Chriſtus iam, expleto opere miſſionis ſuæ, erat relicturus. Veluti de ſe ad Patrem redeunte loquitur: *Jam non ſum in mundo, et hi in mundo ſunt, et ego ad te venio.*

Mundum quidem Chriſtus ubique in Evangelio inceſſit, ac deteſtatur; omnium autem horribiliſſimum eſt, quod dixerat:

a) *Jo. XVII.* 14. *b*) *I. Jo. V.* 19. *c*) *Jo. XVII.* 18.

Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi; quia tui ſunt, pro quibus nempe, ut apoſtolus dicit *dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam a)*. Et S. Joannes *b)*: *Mundus tranſit, et concupiſcentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Hi ſunt de quibus Chriſtus paulo poſt in concluſione ultimæ orationis ſuæ ad Patrem rogat: *Pater, quos dediſti mihi; volo, ut ubi ego ſum, et illi ſint mecum; ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Pater iuste, mundus te non cognovit.* Sic S. Joannes dicit *c)*: *Mundus per ipſum factus eſt, et mundus eum non cognovit;* nempe *lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Quod tunc de Judæis dictum erat, a quibus ideo lux Evangelii ad gentes fuit delata *aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem* (ut Chriſtus ad Saulum a ſe in via proſtratum locutus fuerat), *et de poteſtate ſatanæ ad Deum ut accipiant remiſſionem peccatorum, et ſortem inter ſanctos, per fidem quæ eſt in me d)*, ut rem ipſe narrat apoſtolus, alibique monet corripere eos, qui veritati reſiſtunt *e)*: *Ne quando det illis pœniten-*

a) Gal. I. 4. *b) I. Jo. II. 17.* *c) Jo. I. 10.*
d) Act. XXVI. 18. *e) II. Tim. II. 25.*

Caput CLV.

tiam ad agnoſcendam veritatem, *et reſipiſcant a diaboli laqueis*, *a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Hic est, de quo idem II. Cor. IV. 4.: *Deus huius ſæculi*, qui a Christo *princeps huius mundi* non ſemel appellatur eiusque caterva Ephes. VI. 12.: *Mundi rectores tenebrarum harum.* Nempe erat hæc iusta pœna peccati: *A quo enim quis ſuperatus est*, *huius et ſervus est*, ut dicitur II. Pet. II. 19. Et ad Rom. VI. 16.: *Neſcitis*, *quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum*, *ſervi estis eius*, *cui obeditis*, *ſive peccati ad mortem*, *ſive obeditionis ad iustitiam?* Primum nobis accidit culpa protoparentum nostrorum, alterum contingit gratia Christi, a quo *princeps huius mundi iam iudicatus est a)*, quando de eo dixit *nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras b)*. Sic igitur ſe habent duæ illæ civitates, „quarum est una Dei, altera huius mundi, ſunt verba S. Augustini lib. II. Retract. c. 43. de libris ſuis *de civitate Dei*, qui cum ſint, ſubdit, de utraque civitate conſcripti, titulum tamen de meliori acceperunt, ut de civitate Dei potius vocarentur.

a) *Jo. XVI.* 11. b) *Ib. XII.* 31.

CAPUT CLVI.

ORATIO PRO UNITATE.

Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi; ut ſint unum, ſicut et nos. Joan. XVII. 11.

Inter hierarchas apostolos et eorum ſucceſſores.

Est hæc pars orationis, quam Christus ante passionem ſuam peculiariter pro apostolis fudit, quos inter paulo adhuc ante iterata facta fuerat contentio, quis eorum videretur esse maior: perinde vero ad eorum ſucceſſores in regimine eccleſiaſtico pertinere cenſenda est hæc oratio, quibuscum ſe futurum promiſerat usque ad conſummationem ſæculi; rogatque hic: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum.* Prima virorum apoſtolicorum ſcripta nos docent, nihil eos antiquius ſacratiusque habuiſſe hac unitate. Singulari animadverſione dignum est, S. Clementem, cuius D. Paulus Phil. IV. 3. cum cæteris coadiutoribus meminit, divique Petri ſucceſſorem pontificem Romanum, in qua ſede centrum unitatis eccleſiaſticæ reſidet, officio hoc ſuo præclare fuiſſe perfunctum in epiſtola I. ad Corinthios, in qua postquam pluribus pro unitate corporis Christi, quod est Eccleſia inter alia peroraſſet: „Apo-

CAPUT CLVI.

stoli, pergit *a*), per Jeſum Chriſtum cognoverunt contentionem de nomine epiſcopatus oborituram, idcirco hos, quos ſummos ſacerdotes vocaverat, conſtituerunt.“ Exprobrat porro Corinthiis, poſt illam a D. Paulo ſedatam de Cepha et Apollo, aliam iam graviorem unius aut duorum cauſa contra presbyteros motam ſeditionem *b*); hinc eos ad charitatem, humilitatem et obedientiam hortatur. Quo eodem in argumento ad unam verſantur omnes epiſtolæ S. Ignatii, ne illa quidem ad S. Polycarpum epiſcopum excepta, licet ipſum monentis, „epiſcopo attendere: ut et Deus, ait, vobis *c*).“ Hoc quid aliud eſt, quam quod pro apoſtolis rogat Patrem, *ut ſint unum, ſicut et nos*, perinde ac v. 20. ut mox videbimus, rogat *pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipſi in nobis unum ſint.* Eſt hoc ob quod S. Ignatius laudat Smyrnæos *d*): „Omnes epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem, et presbyterium ut apoſtolos.“ Sunt hi, quos Chriſtus fidelibus præficit, pro quibus hic v. 11. ſingulariter rogat; pro fidelibus vero poſtea v. 22. *Et ego*, ait, *claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis*: quos nimirum ex mundo elegerat credituros, *ut ſint conſummati in unum* in una ſancta catholica et

a) *Num.* 44. *b*) *N.* 47. *c*) *N.* 6. *d*) *N.* 8.

apostolica Ecclesia: cuius unitatis vinculum, concordiam, et harmoniam laudatus S. martyr in ordine hierarchico aptiſſimo exprimens exemplo in epistola ad Ephes.: „Unde, inquit *a*), decet vos in episcopi ſententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordæ citharæ. Propter quod in consensu vestro, et concordi charitate Jesus Christus canitur.“ Sic Magnesianos hortatur *b*): „Ut hoc ſit vestrum ſtudium, in Dei concordia omnia agere, episcopo præsidente Dei loco, et presbyteris loco ſenatus apostolici.“ Epistolam ad Philadelphenos laude episcopi exorditur: „Coaptatus est enim mandatis, ut chordis cithara.“ Postea vero cum iterum dicta, a nobis iam relata, repetiisset *c*): „Quidam autem, pergit, ſuspicati ſunt, me, ut præscium divisionis quorundam hæc dicere. Testis autem mihi is est, in quo vinctus ſum, quod a carne humana non cognoverim, ſed ſpiritus annuntiavit, dicens ista: ſine episcopo nihil facite.“ Audiant hæc, qui non verentur ſanctiſſimum infamare martyrem, ac si is pro dignitate ordinis episcopalis episcopus quippe ipsus ſcripsisset. Audiant item, qui hodie cum Aerianis primum hunc cum ſecundo presbyte-

CAPUT CLVI.

a) *Num.* 4. *b*) *N.* 5. *c*) *N.* 7.

CAPUT CLVI.

rorum ordine vix non confundunt contra unitatem illam, qua ſicut in tota Eccleſia omnia ad centrum unitatis Rom. Eccleſiam, ita in ſingulis diœcesibus ad epiſcopos revocantur ad ſchismata ac dissidia evitanda, ut hortari pergit S. Ignatius. „Unitatem amate, dissidia fugite. Imitatores estote Jesu Christi, ſicut et ipse Patris ipsius.“ Quod quid aliud est, quam quod rogavit Christus Patrem: *Ut ſint unum ſicut et nos.* Sic Trallianos alloquitur *a*): „Cum enim epiſcopo ſubiecti estis, ut Jesu Christo, videmini mihi non ſecundum hominem, ſed ſecundum Jesum Christum vivere.“

Ad mutuum vero eccleſiarum per orbem catholicum unionis nexum, veluti fermento quodam conglutinandum, nihil aptius erat litteris illis, quas *formatas*, atque etiam ob causam allatam, *fermentum* vocabant, quibus eccleſiæ mutuam invicem communionem ſibi contestabantur, excluſis paraſynagis hæresum et ſchismatum, veluti tempore ſchismatis Novatiani factum ex Cypriano discimus, cui Antoninus ep. litteras huiusmodi tranſmiſit ad Cornelium P. R. deferendas *b*), „ut deposita omni ſollicitudine iam ſciret se ſecum, hoc est cum catholica Eccleſia communicare.“

a) *Num.* 2. *b*) *Epist.* 55.

Caput CLVI.

Est ad rem imprimis S. Martyris liber *de unitate Eccleſiæ*, ubi ſub initium ſtatim ſingularem prærogativam D. Petri in eo ſtatuit, ut *ecclesia Christi* una demonstraretur *a*); et alibi Petro primum potestatem datam dicit: ſuper quem ædificavit eccleſiam, et unde unitatis originem institueret. Quæ fuit habita in ecclesia cynosura reſpectusque ad ecclesiam Romanam: ad quam *propter potiorem principalitatem*, ut S. Irenæus loquitur contra hæreses *b*), *necesse est, omnem convenire ecclesiam:* fuitque ſemper agnitum in ſede Petri centrum unitatis, atque adeo unionis cum una ſancta catholica et apostolica ecclesia quibusvis causis hæreſum ac ſchismatum hac una præclusis præſcriptione. Huc facit de *præscriptionibus hæreticorum* aureus Tertulliani liber ex unione nimirum et communione ecclesiarum apostolicarum, quas inter Romanam miris extollit elogiis, quæ ſingulari Dei providentia una iam ſupereſt, eritque ſemper centrum communionis in unitate ecclesiæ catholicæ ut ſemper fuit, ſic; „ut multo posteriores, ut loquitur c. 33. Tertullianus, quæ denique instituuntur, tamen in eadem fide conſpirantes non minus apostolicæ deputentur pro consanguinitate doctrinæ. Et cap. 21. Communicamus, ait, cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa, hoc est:

a) *Epist.* 73. *b*) *Lib. III. c.* 3.

Caput CLVI.

testimonium veritatis." Præciſe S. Optatus Milevitanus contra Donatiſtas præſcribit, „probatum eſt, nos eſſe, inquiens *a*), in eccleſia ſancta catholica, apud quos et ſymbolum Trinitatis eſt, et per cathedram Petri, quæ noſtra eſt, per ipſam et cæteras apud nos eſſe." Sic paſſim S. Auguſtinus præſcribit pro veritate catholica contra hæreticos et ſchiſmaticos pro unitate eccleſiæ, de qua etiam ſingularem librum contra Donatiſtas ſcripsit. S. Hieronymus contra Luciferianos S. Cyprianum eo capite in cauſa rebaptizationis excuſat, quod ea non obſtante in unione communioneque cum Romana ſede perſeveraverit. Et in cauſa ſchiſmatis Meletiani ad Damaſum P. R. ſcribens: „Ego, inquit *b*), nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam eccleſiam ſcio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio." Efficaces Chriſti pro Apoſtolis preces, *ut ſint unum*, et pro eorum ſucceſſoribus in communione ſedis apoſtolicæ, de divina providentia in conſervanda eccleſia ſua dubitare nos non ſinunt, quod ſingulari libro oſtendere conatus ſum *de communione poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos eccleſiæ paſtores, pontificem et epiſcopos.*

a) *Lib. II. n.* 9. *b*) *Epiſt.* 14.

CAPUT CLVII.

DE SALUTE ELECTORUM.

Non pro eis autem rogo tantum, ſed et pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: ut omnes unum ſint ... ut credat mundus, quia tu me miſisti. Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut et nos unum ſumus. Ego in eis, et tu in me, ut ſint conſummati in unum; et cognoſcat mundus, quia tu me miſisti, et dilexiſti eos, ſicut et me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, et illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, qui dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Joann. XVII. 20.

Ad orationem hanc, quis non ad cœleſtem patriam exardeſceret, quam Chriſtus paſſione ſua erat tunc nobis recuperaturus; *ut videant*, ait, *claritatem meam*, *quam dediſti mihi*, *qui dilexiſti me ante conſtitutionem mundi*. Hic commemorat claritatem ſuam cœleſtem, cuius aliquando intuendæ participes futuri eſſemus; antea de claritate in hoc adhuc mundo locutus: *Et ego claritatem*, ait, *quam dediſti mihi*, *dedi eis*, *ut ſint unum*, *ſicut et nos unum ſumus*. In Deo.

Caput CLVII.

Totus ſermo, ſeu oratio Christi ad Patrem ad unitatem tendit, et dilectionem ſpirat. Quamque unitatem, pro apostolis orans, paucis, ut intelleximus Cap. præcedenti commemoraverat. Hic pluribus explicat velut viscera pandens pro universitate fidelium usque ad consummationem ſæculi: *Ego in eis, et tu in me, ut ſint consummati in unum.* „Ubi, ſunt verba S. Augustini *a*), se mediatorem inter Deum et homines breviter intimavit. Neque enim hoc ita dictum est, tanquam Pater non ſit in nobis, aut nos in Patre non ſimus; cum et alio loco dixerit: *veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus;* et hic paulo ante non dixerit: *ego in eis, et tu in me*, quod dixit modo: *aut ipsi in me, et ego in te*, ſed, *tu in me, et ego in te, et ipsi in nobis.* Quod ergo nunc ait: *ego in eis, et tu in me*, ita dictum est ex persona mediatoris, ſicut illud, quod apostolus ait: *vos Christi, Christus vero Dei.* Quod vero addidit: *ut ſint consummati in unum*, ostendit eo perduci reconciliationem, quæ fit per mediatorem, ut perfecta beatitudine, cui iam nihil possit adiici, perfruamur. Unde id, quod ſequitur: *ut cognoscat mundus, quia tu me misisti*, non ſic accipiendum puto, tanquam iterum dixerit: ut credat mundus. Aliquando enim et cognoscere pro eo, quod est credere, ponitur,

a) *Tr. CX. in Jo. n. 4. p. 776. etc.*

ut eſt, quod aït aliquanto ſuperius: *et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me miſiſti.* Hoc dixit poſterius: *crediderunt*, quod prius dixerat: *cognoverunt*, ſed hic, quando quidem de conſummatione loquitur, talis eſt intelligenda cognitio, qualis erit per ſpeciem, non qualis nunc per fidem."

Vindicavit etiam locum hunc S. Pater contra Arianos, qui eo abuſi ſunt contra divinitatem Chriſti, naturalem nimirum unius ſubſtantiæ in perſonis unionem, cum inter nos homines moralis tantummodo ſit, quomodo de primis fidelibus *cor unum et anima una a)* fuiſſe dicitur. Neque tamen S. Hilarius et alii contra Arianos hic ſubſiſtunt, ſed naturalem etiam unionem ſtatuunt per unam unius fidei naturam, per incarnationis myſterium, regenerationis per baptiſmum, imprimis etiam per participationem corporis et ſanguinis in eucharistia, quod eſt argumentum lib. VIII. de Trinit. ubi poſt alia num. 13. pag. 954. ſic arguit: „Eos nunc, qui inter patrem et filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere verbum caro factum eſt, et vere nos verbum carnem ci-

a) *Act. Apoſt. IV.* 32.

Caput CLVII. bo dominico ſumus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumſit, et naturam carnis ſuæ ad naturam æterniatatis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit?“ Et S. Cyrillus Alex. allato D. Pauli loco Eph. IV. 4. unum corpus et unus ſpiritus: „Unum etenim corpus multi ſumus in Chriſto; omnes enim, inquit *a*), de uno pane participamus, et omnes in uno peruncti ſumus ſpiritu, nimirum Chriſti, ut igitur concorporales uniusque et eiusdem ſpiritus comparticipes futuros in unitatem ſpiritus intemeratam et infractam animorum conſenſionem ſervari vult ſuos diſcipulos. Si quis autem diſcipulos uniri velit, ſicut Pater et Filius unum ſunt, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed et ſecundum voluntatem (una enim eſt in ſancta natura, et eadem in omnibus voluntas) ita ſentiat per me licet.“ Hæc ille ad primam Chriſti pro apoſtolis: *ut ſint unum*, orationem, de qua paulo ante ſumus locuti, quæ poſtea magis adhuc illuſtrat ad v. 21.

Ibi ſermo eſt *b*), quomodo ſe mutuo clarificent Pater et Filius; hic Chriſtus profitetur, ſe dediſſe ſuis claritatem, quam ipſe a Patre ſuo acceperat. Corruperat homo

a) *In Jo. T. IV. p.* 972. *b*) *Jo. XVII.* 1.

per peccatum imaginem divinam, ad quam conditus fuerat, quam uno tunc divino afflatu acceperat; ſed maioris molis erat eam restituere: opus illud creationis erat, hoc redemtionis *pretioso ſanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati a)*. Quod totum mysterium claritatis nostræ in Deo mox post ſalutationem in exordio epistolæ ibidem D. Petrus pandit *b)*: *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ſecundum misericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam et immarcessibilem conservatam in cœlis.* In ingressu autem epistolæ II. D. Petrus id, quod caput est, declarat ad claritatem illam, de qua Christus dicit: *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut et nos unum ſumus: Per quem*, inquit, *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* D. Paulus, postquam ſimili gratiarum actione adhuc prolixius divinam erga nos gratiam et misericordiam extulisset: *Benedictus Deus*, inquit, *et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœlestibus in Christo etc.* mox cap. II. quæ ſit veluti communicatio illa idiomatum nobis per Christum in Deo declarat, claritatemque illam, qua unum ſumus in illo, pan-

a) I. Petr. I. 19. *b) Ib. 3.* *c) Eph. I. 3.*

CAPUT CLVII.

dens: *Deus autem, ait a), qui dives est in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, et cum eſſemus mortui peccatis, conviviſicavit nos in Chriſto, cuius gratia estis ſalvati, et conreſuſcitavit et conſedere fecit in cœlestibus in Chriſto Jeſu.* Hoc est, quod alibi dicit nos *hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti* esse, quibus nempe *potestatem dedit, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt;* filii Dei ſcilicet, ut idem S. Joannes dicit c): *Cariſſimi nunc filii Dei ſumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* O bone Deus! quanta hæc dignatio! quanta claritas in Deo et unitas cum Deo conſortibus nobis divinæ in Chriſto naturæ! „Agnosce, o christiane! dignitatem tuam, et divinæ conſors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento cuius capitis, et cuius corporis ſis membrum d).“ Est hoc, ut eccleſia cantu ſolemni celebrat, „admirabile commercium, creator generis humani animatum corpus ſumens de virgine naſci dignatus est: et procedens homo ſine ſemine largitus est nobis ſuam deitatem.“

a) *Eph. II. 4.* b) *Jo. I. 12.* c) *I. Ep. III. 2.*
d) *S. Leo Serm. I. de Nativ. Chriſti.*

CAPUT CLVIII.

IMMENSA DEI DILECTIO.

Pater iuste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: et hi cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam: *ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis ſit, et ego in ipsis.* Jo. XVII. 25. 26.

Erga ſuos, quos e mundo ſelegit.

Hæc ſunt ultima Christi verba ſermonis ultimi cum discipulis ſuis in hortum euntis, et complementum omnium, quæ dici possunt de divinæ erga electos ſuos dilectionis excessu, quo Christus cœlestem patrem ſuum rogat, ut dilectio, qua filium ſuum unigenitum diligit, etiam in ipsis ſit; ac si Numen nobis benignissimum reddere velit vicem præcepti amandi proximum ſicut ſemetipsum. Fierine potest Domine Jesu, ut eo amore nos diligat Pater tuus, quo tu ab eo amaris? si nihil esset, quod a nobis amorem erga Deum ex toto corde, ex tota anima, ex toto intellectu, ex totis viribus pro modulo nostro ſuper omnia, et in omnibus ſupra omnem modum exposceret, hic certe divini amoris id flagitaret excessus humanæ menti imperceptibilis.

Caput CLVIII. Myſterii huius ſublimitatem nemo, niſi cui Christus Patrem ſuum notum fecit, percipere poteſt. Procul hinc profani, procul *mundus*, qui ut Patrem ſuum alloquitur Christus, *te non cognovit: ego autem te cognovi: et hi cognoverunt, quia tu me miſiſti.* Unus ex Apoſtolis D. Paulus *ſapientiam autem* inquit *a*), *loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.* Gloriam illam, de qua mox Iſa. XIX. 4. verba recitat: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Prout Apoſtolus prophetam legit; tunc pergit: *Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum: ſpiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ in homine ſint, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita et quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt: ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis.* Quæ vero ſunt hæc, niſi quæ Deus iam patri fidei noſtræ Abraham revelavit *b*): *Ego ſum merces tua magna nimis*; Deus nimirum ipſe poſſidendus in æterna gloria facie ad faciem, ſicuti eſt, videndus et diligendus in

a) *I. Cor. II. 6.* *b*) *Gen. XV.* 1.

ſeipſo, fruendo ſummo bono, ut ſit ipſe Deus noſter, amor noſter in cœlis; fiatque quod Chriſtus Jeſus filius Dei Patrem ſuum cœleſtem rogavit: *ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, et ego in ipſis.* Hoc eſt; quod iuxta Apoſtolum a) *videmus nunc per ſpeculum, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut et cognitus ſum.* Pro ipſa vero hac cognitione ſaltem imperfecta in hac vita nobis divinitus revelata, idem apoſtolus cœleſtem Patrem pro Epheſiis tam ardenter, tam inceſſanter, memoriam eorum faciens in orationibus ſuis, rogat, *ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ et revelationis in agnitione eius: illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis. Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus; ſecundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis, et conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, et poteſtatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius: et ipſum dedit caput ſupra omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur* b).

Caput CLVIII.

a) *I. Cor. XIII.* 12. b) *Eph. I.* 16. etc.

Caput CLIX.

CAPUT CLIX.

MŒROR CHRISTI IN HORTO.

Assumto Petro et duobus filiis Zebedæi, *cœpit contriſtari et mæſtus eſſe. Tunc ait illis; triſtis eſt anima mea uſque ad mortem;* ſuſtinete hic et vigilate mecum. Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam orans et dicens; Pater, mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Matth. XXVI. 37. etc.

Agonia ſingularis.

Non eſt in vita Chriſti, quod maiorem admirationem ſtuporemque excitare debeat, quam hæc Chriſti ante mortem ſuam agonia; nec eſt, quod ita offendat hodiernos religionis chriſtianæ irriſores, quam tantus hic in animo Chriſti mœror, ut ex omnibus membris ſanguinem eliceret: quem putant Θεανϑρωπῳ indignum, cum eſſet etiam homini cordato dedecori. Chriſtus, qui infirmitates noſtras in ſe ſuſcepit, agoniam etiam ante mortem ſuſtinere voluit, ſed quando ipſe voluit, pridie ante mortem orans coram patre proſtratus; non vero dum hoſtibus parricidis ſponte ſe offert ad paſſionem, nec elevatus in cruce, ubi Deum ſe monſtrando, hominem intrepidum exhibendo, mortem oppetere de-

cuit, ac vel ultimus exſpirantis halitus divinitatis indicium præbere debuit. Caput CLIX.

Supra vidimus, Christum tempore aſsumtionis ſuæ appropinquante, intrepide obfirmasse animum ſuum, atque præcessisse eundo discipulos ſuos in Jerusalem, ita ut mirarentur ipsi deiecti et contristati. In via et data quavis occasione, nec quidquam commotus, de passione ſua perinde, ac de resurrectione ſua verba facit. Dum iam adest tempus, ultimusque dies imminet, dicit quidem: *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum a).* Statim resumit animum gloriæ divinæ intuitu, ut veteri paschate antiquato, ipse agnus paschalis immolaretur: *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Prodituro se Judæ dicit: *quod vis facere, fac cito.* Et ipse post cœnam inter divinum illum, cuius modo particulas quasdam expendimus, ſermonem ultimum procedit, eoque medio in itinere ſuos animat: *ſurgite, eamus;* mœstos de ſuo abitu ſolatur discipulorum animos, eosque contra hostem mundum obfirmat: *Confidite*, ait postremum, *ego vici mundum*, orationemque auspicatus:

a) *Joan. XII. 27. etc.*

V 2

Caput CLIX. *Pater venit hora etc.* oblationem ſacrificii ipſe ſacerdos et victima imperturbato animo facit. Jam vero ſubito *cœpit, et pavere, et contriſtari, et mœſtus eſſe a)*. S. Juſtinus M. illud Ps. XXI. 15. verſans *b)*: *Sicut aqua effuſus ſum, et diſperſa ſunt omnia oſſa mea: factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei:* „Prænuntiabat, inquit, quod ei illa nocte contigit, cum adverſus eum in montem Olivarum venerunt, ut eum comprehenderent. Nam in commentariis, quos ab eius apoſtolis eorumque diſcipulis ſcriptos dico, proditum est, ſudorem veluti guttas ſanguinis ex eo defluxiſſe, cum precaretur et diceret: *Si fieri poteſt, tranſeat calix iſte:* contremiſcente videlicet illius corde et oſſibus ſimiliter contremiſcentibus, ac corde ſpeciem habente liqueſcentis in ventre ceræ; ut certo ſciremus, voluiſſe Patrem in eiusmodi etiam perpeſſionibus Filium ſuum vere propter nos verſari, ne diceremus eum, cum Filius Dei eſſet, non ſenſiſſe, quæ ei inflicta ſunt, quæque ei acciderunt.“ Legimus in actis ſinceris martyrum, dolores in tormentis haud infrequenter divinitus aut lenitos aut penitus fuiſſe ſublatos. Angelum inter torturam Theodoro confeſſori abſterſiſſe dolores, ex eius ore refert Rufinus *c)*.

a) *Matth. XXVI. 37. et Marc. XIV. 33.*
b) *Dialog. cum Tryphone n.* 103. *pag.* 199.
c) *L. X. hiſt. c.* 36.

Chriſtum vero angelus confortavit ad paſſionem, ſuſtinendosque ſine mitigatione dolores, ut ex verbis Chriſti coniicitur ad Patrem in cruce: *Deus meus, quare me dereliquiſti.* CAPUT CLIX.

S. Athanaſius in oratione de paſſione, in ea ſententia, quam iam ex S. Ignatii epiſtola ad Epheſios n. 15. commemoravimus, principem huius mundi latuiſſe Mariæ virginitatem, et partum ipſius, ſimiliter et mortem Domini, tria myſteria clamoris, quæ in ſilentio patrata ſunt, Chriſtum hæc in ſe prorſus ſingularia et extraordinaria, qualis certe eſt ſudor ſanguineus, quem Lucas XXII. 44. deſcribit, paſſum, exiſtimat, ut veluti provocaret hoſtem, alias, quæ eſt aliorum etiam ſententia, potius impediturum paſſionem, ex qua tantus fructus in genus humanum eſſet redundaturus, comparatione uſus S. Pater, quæ, ut eſt ſimilitudinum ratio, non in omnibus circumſtantiis valet. „Non aliter, ut habent verba in catena PP. quam ſi quis animadverſa in compare atque æmulo ſuo formidine ſecum decertandi, imbecillem ſe fingat, quod illum pelliciat ad pugnam: et ille, dum pro vera habet illam ſimulatam imbecillitatem, audacter in certamen prodeat, mox domandus illius generoſi athletæ viribus. Ita quoque Dominus ſub ſpecie

Caput CLIX. humanæ infirmitatis provocans adverſarium hominem, quem induerat, ſuis viribus adverſus inimicum corroboravit, atque ideo ſub tempus mortis anxius eſſe, et mœrere cœpit, et obſecrabat calicem tranſire; clamabat, ſpritum quidem promtum eſſe, carnem autem infirmam, ut adverſarius noſter cum eo, quaſi cum homine congreſſurus, vires eius divinas experiretur; atque ita inductus, ludificatusque adorſus eſt Dominum. Et nunc quidem, cum animadverteret eius formidinem, animo fiduciaque contractiore fuit: nunc autem cum videret imbecillitatem corporis, audaciam reſumſit. Ac iam deinde cernere erat diabolum quidem cum omni exercitu, principatibus et poteſtatibus in fugam ſe dare, Dominum contra humanis armis diabolicas legiones perſequi. Nec longum deinde in medio intervallum, cum inimicum omnibus rebus ſuis ſpoliavit.“ S. Ambroſius, qui quemadmodum S. Athanaſius Arianos, tunc Apollinariſtas etiam præ oculis habuit, qui ipſam divinitatem paſſam dicebant, nusquam magis pietatem Chriſti, maieſtatemque demiratur: „Minus enim, inquit *a*), contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum. Ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit, quod doleret: et ſequeſtrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ

Nostri cauſa ſuſcepta.

a) *Lib. X. in Luc. n.* 56. *T. I. p.* 1516.

infirmitatis afficitur. Suſcepit enim triſtitiam meam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur; et veſtigiis noſtris deſcendit usque ad mortis ærumnam, ut nos ſuis veſtigiis revocaret ad vitam.“ Poſtea tamen ſingularem, ut plerique, triſtitiæ cauſam indicat: „Nec illud diſtat a vero, ſi triſtis erat pro perſecutoribus ſuis, quos ſciebat immanis ſacrilegii pœnas daturos. Et ideo dixit: *tranſfer calicem hunc a me;* non quia Dei Filius mortem timebat, ſed quia vel malos perire timebat *a*).“ Sic S. Hieronymus in h. l. dicit Chriſtum poſtulaſſe, ut tranſeat calix iſte, „non timore patiendi, ſed miſericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum *b*)“. Poſſunt equidem varia in medium afferri eiusmodi; at ſemper hic aliquid abſconditum latet, exceditque humanum captum: cur Chriſtus *tentatus* quidem *per omnia pro ſimilitudine* iuxta apoſtolum *c*), perinde nimirum ac nos, quorum in ſe ſuscepit infirmitates, hic aliquid ſuſtinere voluerit ultra menſuram infirmitatis noſtræ? Cui enim unquam anguſtiatus animus tantum elicere potuit ſanguinis, ut in terram decurrant guttæ? Luc. XXII. 44. In eo porro, quod Lucas XII. 50. dudum ante paſſionem dixerat: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor* (συνέχομαι) *usquedum perficiatur*, dubium nobis reliquit ſenſum.

a) *Ib. p.* 1517. *b*) *T. IV. p.* 130. *c*) *Hebr. IV.* 15.

Caput CLX.

CAPUT CLX.

JUDÆI, VOCE CHRISTI PROSTRATI.

Jesus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, processit, et dixit eis: quem quæritis? responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: ego ſum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. *Ut ergo dixit eis: ego ſum; abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.* Iterum ergo interrogavit eos: quem quæritis? illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego ſum, si ergo me quæritis, ſinite hos abire. Ut impleretur ſermo, quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Joann. XVIII. 4. etc.

Sponte se tradit.

Modo vidimus Christum ut hominem ſimilem nobis, infirmitates et peccata nostra portantem, in agonia perfuſum ſudore ſanguineo, patrem rogantem, ut si fieri posset, transeat calix iste; iam cernimus eum intrepide procedentem in occursum Judæ proditori, lictorum cohortem ad capiendum eum adducenti. Rem adhuc melius ob oculos ponunt evangelistæ Matthæus et

Marcus, inducuntque Christum tertio iam ex oratione ad discipulos dormientes redeuntem, ſicque alloquentem: *Dormite iam et requiescite; ecce appropinquavit hora, et filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus; ecce appropinquavit, qui me tradet a)*. Ipso facto hic ostendit Christus, quod Isaiæ LIII. 7. prædictum est: *Oblatus est, qui ipse voluit.* Et ipse Christus Joann. X. 17. 18.: *Quia ego pono animam meam, ut iterum ſummam illam. Nemo tollit eam a me, ſed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo, iterum ſumendi eam.* Qua ſane potestate, insigni divinitatis ſuæ indicio, toties usus fuerat, quoties antea eius vitæ insidiati lapidare eum aut comprehendere voluerunt, nec potuerunt, ut Joann. X. 30. 39.: *Jesus autem exivit de manibus eorum.* Et Luc. IV. 29. 30. dum Nazareni cives ſui illum in ſupercilium montis, ut præcipitarent, adduxerunt; *ipse autem transiens per medium illorum ibat.*

At longe insignius dedit argumentum, ſuam et ſuorum ſalutem in ſua esse potestate, dum ad ſolam vocem ſuam retrorsum abierunt iterato, et ceciderunt in terram, atque ad iussionem ſuam, *ſinite hos abire*, nec attingere auderent ullum discipulorum,

a) *Matth. XXVI. 45. et Marc. XIV. 41.*

Caput CLX.

etſi laceſſiti ab ipſis dicentibus: *Domine, ſi percutimus in gladio a)?* Et inprimis a Petro ſervo ſummi ſacerdotis auriculam abſcindente, in quem utique percutientem gladio inſurgere debebant potius, quam in Chriſtum, qui reſtituit læſo aurem, Petrumque coercuit iuſſum mittere gladium in vaginam.

Unus vero nobis ſublimis aquila S. Joannes vocem pandit tantæ virtutis: *Ego ſum;* idem nempe is, de quo Evangelium exorſus: *In principio*, ait, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Jehova ſcilicet proprium Dei nomen, quod quærenti olim Moyſi Deus manifeſtavit ex rubo: *Ego ſum, qui ſum; ſic dices filiis Iſrael; qui eſt miſit me ad vos:* Jehova. Ad cuius tremendum nomen hic *retrorſum abierunt, et ceciderunt in terram.*

Porro hic divini nominis virtus demonſtratur, *ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium et infernorum:* quo idola poſtea proſtrata, altaria diruta, templa in cinerem redacta, dæmonia fugata, ſæculi huius principatus et poteſtates, reges et imperatores huius ſanctiſſimi nominis hoſtes et perſecutores profligati, vero divini numinis cultui locum

a) *Luc. XXII.* 49.

dederunt, infideles quoque ac profanæ cultores religionis, fidelibus populis.

Dum vero proſtrati reverentia divini nominis numinisque, iterum a Christo interrogati, iterum *Jeſum Nazarenum* inclamant: ſuis ſalvis, ipse se unum pro omnibus ſponte offert: nempe *oblatus est, quia ipse voluit*, ac ſemetipſum tradidit in eorum manus, id ſolum exprobrans, quod quasi ad latronem exiissent *cum gladiis et fuſtibus, cum quotidie*, ait, proximis maxime ante passionem diebus, *vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me; ſed hæc est hora veſtra, et poteſtas tenebrarum a)*. Et his demum verbis comprehendendi Christum facultas illis est facta, quos antea divinitatis ſuæ voce in terram proſtraverat. „ Quamvis enim, verba ſunt S. Leonis P. *b)*, ex infirmitate nostra vere passus Dominus Jesus, vereque ſit mortuus; non tamen ita se abſtinuit a gloria ſua, ut inter contumelias passionis nihil divinæ operationis exerceret. Nam cum impius Judas non iam ovina pelle velatus, ſed lupino furore manifestus, vim ſceleris per ſpeciem pacis incipiens, ſignum traditionis ſæviore omnibus telis osculo præbuisset, et multitudo furibunda, quæ ad comprehendendum Dominum cum armata militum cohorte confluxerat, inter fa-

a) Luc. XXII. 52. etc. *b) Serm. L. de Paſs.*

CAPUT CLX.

ces et laternas lumen verum, tenebris obcæcata ſuis, non cerneret; Dominus, qui exſpectare potius turbas, quam declinare delegerat, ſicut Joannes evangeliſta teſtatur, quem quærant, necdum inventus, interrogat, illisque dicentibus, quod Jeſum quærerent: *Ego ſum*, inquit, quod verbum illam manum ita ex ferociſſimis congregatam, quaſi quodam fulmineo ictu ſtravit, atque perculit, ut omnes illi atroces, minaces, atque terribiles, retroacti corruerent. Ubi fuit ſævitiæ conſpiratio? ubi ardor irarum? ubi instructus armorum? Dominus dicit: *Ego ſum:* et ad vocem eius turba proſternitur impiorum. Quid iam poterit maieſtas eius iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda? Verumtamen Dominus ſciens, quid magis myſterio ſuſcepto conveniret, in hac poteſtate non perſtitit, ſed perſecutores ſuos in facultatem dispoſiti ſceleris redire permiſit. Nam si teneri nollet, non utique teneretur. Sed quis hominum poſſet ſalvari, si ille non ſineret, ſe comprehendi? Nam et beatus Petrus, qui animoſiore conſtantia Domino cohærebat, et contra violentorum impetus fervore ſanctæ charitatis exarſerat, in ſervum principis ſacerdotum uſus eſt gladio, et aurem viri ferocius inſtantis abſcidit. Sed hunc zelantis apoſtoli pium motum progredi Dominus ultra non patitur, recondi gladium iubet, nec

ſinit ſe adverſus impios manu ferroque defendi. Contra ſacramentum enim erat redemtionis noſtræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet: ne dilato glorioſæ crucis triumpho, et dominatio diabolica fieret longior, et capitivitas humana diuturnior. Dat ergo in ſe furentibus licentiam ſæviendi, nec tamen etiam talibus dedignatur, ſe indicare divinitas. Aurem ſervi iam ipſa ſectione demortuam, et a compage viventis corporis alienam, in ſedem de honeſtate capitis revocat manus Chriſti, reformat, quod ipſe formaverat: nec tarde caro ſequitur eius imperium, cuius erat ipſa figmentum." Et S. Auguſtinus: „Una vox, inquit a), dicentis: *Ego ſum*, tantam turbam odiis ferocem, armisque terribilem ſine telo ullo percuſſit, repulit, ſtravit. Deus enim latebat in carne: et ſempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis et facibus quæreretur occidendus a tenebris. *Ego ſum:* dicit Chriſtus, et a Judæis exſpectatur antichriſtus, ut retro redeant, et in terram cadant, quoniam deſerentes cœleſtia, terrena deſiderant. Certe ad comprehendendum Jeſum perſecutores cum traditore venerunt, quem quærebant, invenerunt, audierunt: *ego ſum*, quare non comprehenderunt, ſed abierunt retro, et ceciderunt? niſi quia hoc voluit,

Caput CLX.

a) *Tr. CXIII. in Jo. n. 3. T. III. P. II. p. 784.*

Caput CLXI. qui potuit, quidquid voluit. Verum ſi nunquam ab eis ſe permitteret comprehendi, non quidem illi facerent, propter quod venerant, ſed ne ipſe faceret, propter quod venerat." Vid. S. Cyrillus Alex. T. IV. pag. 10. 11. etc., S. Chryſoſtomus T. VIII. pag. 490., Theophilactus T. I. pag. 736. etc. in h. l.

CAPUT CLXI.

CHRISTUS SE FILIUM DEI PROFESSUS CORAM SYNEDRIO.

Jesus autem tacebat, et princeps ſacerdotum ait illi: *Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Jesus: tu dixisti; verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.* Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: blasphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? at illi respondentes dixerunt: reus eſt mortis. Matth. XXVI. 63. etc.

Reus mortis, tanquam blasphemasset, habetur.

Dixerat prius evangeliſta, principes ſacerdotum et omne concilium quæſiviſſe falſum teſtimonium contra Jesum, ut eum

morti traderent. Jesus autem tacebat, donec a principe ſacerdotum, cum fruſtra adverſus eum teſtimonia aliorum perquirerentur, adiuratus per Deum vivum interrogaretur de eo, quod caput rei erat: an eſſet Chriſtus filius Dei? Jam os aperit verbum divinum, veritas æterna negare ſe nequiens: *Tu dixiſti*, inquit, iisdem poſtea erga Pilatum verbis uſus, *ut propria*, ait S. Hieronymus, *ſententia condemnentur a)*. S. Marcus, qui plerumque S. Matthæum, paſſim etiam ad verbum ſequitur, loco verborum: *Tu dixiſti*, habet: *Ego ſum*; S. Lucas duplicem interrogationem diſtinguit ſynedrii, utrumque in reſponſione ſecunda coniungit: *Vos dicitis, quia ego ſum. b)*. Præmittit autem aliam hanc reſponſionem: *Si vobis dixero, non credetis mihi; ſi autem interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis ſedens a dextris virtutis Dei.* Quibus verbis exprobrat ſynedrio, quod futurum aliquando iudicem ſuum in iudicium trahant ad mortem. Parallelus eſt locus in ſimili occaſione Jerem. XXVI. dum is pariter a ſacerdotibus reus mortis ageretur: *Ecce*, ait, *in manibus veſtris ſum: facite mihi, quod bonum et rectum eſt in oculis veſtris. Verumtamen ſcitote, et cognoſcite, quodſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos, et*

a) In Matth. L. IV. T. IV. p. 131. *b) Luc. XXII.* 70.

contra civitatem istam, et habitatores eius, in veritate enim misit me Dominus ad vos. Sed aliter loquitur homo in iudicium vocatus ab hominibus, aliter Filius Dei iudex aliquando futurus, id quod legitur apud S. Matthæum expressioribus verbis, ad eos deterrendos, ne ipsi iudicent aut condemnent iudicem ſuum aliquando venturum in nubibus cœli, et amodo ſessurum a dextris virtutis Dei. Quibus verbis eis in memoriam revocat ſupra allatum argumentum ad probandam Messiæ divinitatem ex Ps. CIX. *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis*, fuitque ultimus Christi *congregatis Pharisæis* ſermo *a*), ad quem *nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die amplius interrogare.* Quid vero princeps ſacerdotum? ſcissis vestimentis blasphemasse Jesum vociferatur.

Ex his autem omnibus palam fit, quæstionem perinde ſynedrii ac responsionem Christi, dum interrogatur: an ſit Filius Dei? de vero naturali filio fuisse. Si enim eo ſolum ſensu interrogatus respondisset, quo etiam homines in ſcripturis dicuntur filii Dei, non eum reum mortis; ob blasphemiam iudicassent. „Sed, quærit S. Jo. Chrysostomus, quænam erat hæc blasphemia? Nam ante congregatis illis dixerat:

a) *Matth. XXII.* 41. *etc.*

Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: dictumque interpretatus est, nec ausi ſunt illi respondere, ſed tacuerunt, et ex illo tempore nihil contra dixerunt. Cur ergo dictum illud blasphemiam vocarunt? cur vero Christus ita respondit? ut omnem ipsis tolleret defensionem: nam usque ad ultimam horam docuerat, se esse Christum, a dextris Patris ſedere, et venturum denuo esse, ut iudicet orbem; quæ magnam eius cum Patre concordiam ſignificabant. Vestimentis ergo ſcissis ait: *Quid vobis videtur?* non fert ex se ſententiam, ſed quasi in manifesto peccato et clara blasphemia illorum ſententiam requirit. Quia enim ſciebant, si res in examen veniret, atque in notitiam, illum ab omni crimine liberandum esse, apud ſeipsos illum condemnant, auditoresque præoccupant dicentes: *vos audistis blasphemiam*, tantum non cogentes, et vim inferentes, ad ſententiam ferendam. Quid igitur illi? *Reus est mortis*, ut quasi iam damnatum ſisterent, Pilatumque ad ſententiam ferendam inducerent: hac mente, et horum conscii dicunt: *Reus est mortis.* Ipsi accusabant, ipsi damnabant, et ſententiam ferebant, omnium officia occupabant. "

Etsi vero Christus ad tam varia tribunalia ductus fuerit, ab Anna ad Caipham,

Caput CLXII.

hinc ad Pilatum, ab hoc ad Herodem, et iterum ad Pilatum; nuspiam tamen tam indigne habitus fuit, quam apud Caipham, qui erat reiectæ gentis pontifex anni illius, a ſervo etiam per ſummam iniuriam alapa percussus; potius autem ferens se dari totum ad cruciandum corpus, ut S. Augustinus notat; nec dum reus mortis iudicatur, quod blasphemasset, conquestus est, ſed ſolum quando alapa cæsus est.

CAPUT CLXII.

AGER FIGULI, EX PROIECTIS A JUDA TRIGINTA ARGENTEIS, EMTUS.

Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis est. *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum.* Matth. XXVII. 6. 7.

Pro peregrinis, ſeu gentilibus.

Postquam principes ſacerdotum et ſeniores populi Jesum vinctum adduxissent, ac tradidissent Pontio Pilato præsidi: *Videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum et ſenioribus, dicens: Peccavi, tradens ſanguinem iustum.* Religioni ſibi

ducunt, mittere hanc pecuniam in corbonam, id est, inter dona Deo ſacra reponere: *Quia*, aiunt, *pretium ſanguinis est. Conſilio autem inito etc.*; imo ignari ipsi hoc consilio ſuo divini consilii ſecretis obsecundant, haud ſecus ac Caiphas, cum esset pontifex anni illius, prophetabat dicens, oportere unum hominem mori pro populo. Ast pro quo populo? Profecto non ſolum pro Judaico, qui abiecit Christum, ſed peregrinorum illorum, nempe gentilium, qui convertendi erant ad Christum, *conſepulti ei in baptismo*, ut Colossenses II. 12. allocutus Apostolus, *in quo*, pergit, *et reſurrexistis per fidem operationis Dei*, *qui ſuſcitavit illum a mortuis. Et vos, cum mortui essetis, in delictis, et præputio carnis vestræ etc.* Incircumcisi nempe, quales et Romani, ad quos ſcribens idem Apostolus *a*): *Conſepulti enim*, ait, *ſumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul et reſurrectionis erimus.* CAPUT CLXII.

Locus autem Matthæi, qui præ oculis est, declaratur ex Zachariæ XI. 12. cuius loco Jeremiæ nomen forte irrepsisse S. Hieronymus observat; idem nihilominus dicit,

a) *Rom. VI.* 4.

CAPUT CLXII. ostenſum ſibi a Nazarenæ ſectæ homine librum, in quo locus ſub Jeremiæ nomine deſignabatur: unde ſunt, qui eum ad literam ex deperdito Jeremiæ fragmento deſumtum putant, qui in Zacharia tamen quoad ſubſtantiam cum Matthæo concordat. Eſt vero iſte: *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Iſrael. Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* Hoc eſt, quod citato Zachariæ loco dicitur: *Et apprehenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Ad ſtatuarium,* iuxta LXXII. conflatorium. Id quod concordans cum S. Matthæo S. Cyrillus Hier. catech. XIII. n. 11. „Verum, ait, non aurifices ſolum conflatorium habent, nec ærariis ſolum eſt ſuum conflatorium; ſed et figuli habent luti conflatoria.“ Apud Zachariam eſt vox יוצר quæ fictorem, atque adeo figulum ſignificat. Qua allegoria utitur D. Paulus Rom. IX. 20: *Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic?* Qua in epiſtola ad Romanos materia hæc de Gentilium electione, et Judæorum reiectione, potior pars eſt. Atque ſimul etiam illuſtratur, quod mox in citato Zachariæ loco connectitur, de virga, quam præcidit pro-

pheta, *ut diſſolverem*, inquit, *germanitatem inter Judam et Jsrael.* Nempe qui iuxta D. Paulum ib. v. 4. ſunt Jsraelitæ, *quorum adoptio est filiorum etc.* Quod de apoſtolis et aliis, qui in Chriſtum crediderunt ex Judæis, intelligitur, reiecta gente, ita ut etiam *pretium appretiati, quem appretiaverunt filii Jsrael*, proprio ſuo conſilio non in commodum eorum, ſed peregrinorum, ſeu alienigenarum Gentilium ceſſerint ſcil. argentei illi, quibus Judas, *proiectis in templo, receſſit: et abiens laqueo ſe ſuſpendit*, ad quod alludens Zacharias, *et tuli*, inquit, *triginta argenteos, et proieci illos in domum Domini.*

CAPUT CLXIII.

CAPUT CLXIII.

CHRISTUS SE REGEM PROFITETUR CORAM PILATO.

Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es rex Judæorum? Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Judæus ſum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi: Quid fecisti? *Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex ſum ego.* Joan. XVIII. 33. etc.

Hic et in æterna vita constituto ſibi regno.

Ut de ſilentio Christi notavimus, quod observavit coram ſynedrio ad omnes obiectiones, donec interrogaretur: an esset Christus Filius Dei vivi? ſic etiam coram Pilato obmutuit, et non aperuit os ſuum ad omnia, quæ afferebant accusationum capita, præter interrogationem a Pilato factam, an rex esset? Cum primum apud Pilatum ſiſteretur, ut apud Matthæum XXVII. 11.

etc. legitur: *Interrogavit eum præses: Tu es rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis.* Quæ, ut iam notavimus, esse affirmantis verba, constat. Et pergit evangelista, *cum accusaretur a principibus ſacerdotum et ſenioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? et non respondit ad ullum verbum, ita, ut miraretur præses vehementer.* Sciebat Christus mentem Pilati, quam in processu causæ ſatis prodebat, eum ceu innocentem dimittendi. Nec irritari eum ſuo ſilentio curat, qui cum iterum responsum non accipit: *Mihi*, inquit *a*), *non loqueris: nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?*

In prima vero interrogatione apud eundem Joannem: *An rex ſit?* Non directe ſtatim ad quæstionem respondit; ſed prius percunctatus est ex Pilato, an a ſemetipso hoc diceret, an aliorum instinctu, Judæorum ſcilicet accusatorum, tunc maxime regem Messiam præstolantium, qui ſubactis terræ principibus ac imperiis fortitudine bellica et armis restitueret regnum Israel, postquam Judæa, quæ ex cæteris tribubus ſupererat, esset in provinciam Romanam redacta, ſublato nimirum ſceptro de Juda. Erant tunc proni ſemper ad rebellionem Judæi, cum quis ducum ſese (qualis fuerat

a) *Joan. XIX.* 9.

Caput CLXIII. Judas Galilæus ſeu Gaulonites, Theudas et alii) proderet, ceu liberi filii Abraham, ſervitutis impatientes. Sed dum iam ſub potentia Romana mussitare non audent; neque in Jesu bellatorem illum potentem cernunt, qualem ipsi expostulabant ad restituendas res ſuas, regnumque redintegrandum atque dilatandum per orbem, ut ſibi terrena tantum ſapientes in animum induxerant; Deo ſic providente, contra se, pro Christo vero Messia ſententiam dicunt, dum Pilato, ipsis Jesum ſecundum legem ſuam iudicandum offerenti, respondent: *Nobis non licet occidere quemquam a)*. Sic postea clamantes, postulantesque a Pilato, ut crucifigeretur Jesus, illo autem dicente: *Regem vestrum crucifigam?* Palam profitentur: *Non habemus regem nisi cæsarem.*

Vide autem et admirare divinam providentiam! quidquid dicerent Judæi, Pilatus ſemper inhæret ſuæ menti, veluti contra mentem. Nec diffiteri hactenus possunt Judæi, quod in horis hebraicis ſuis propriis auctoribus J. Lightfoot b) ad hunc Joannis locum, itemque abbas Calmetus ostendunt, eos agnovisse, a Judæis quadraginta annis ante excisionem urbis ademta esse capitalia iudicia. Quidquid vero de hac re ſit, ſceptrum certe de Juda tunc ablatum

a) *Joan. XVIII.* 31. b) *P. II. p.* 671.

fuerat; dum Jesus adest ad theocratiam veri nominis, adverſantibus licet omnibus ſæculi poteſtatibus, conſtituendam, non qualem Judæi præſtolabantur armis et tumultibus bellicis obtinendam, ſed ſicuti ex Isaiæ XLII. 1. etc. Matth. XII. 18. etc. Chriſtus tanquam puer deſcribitur: *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum meum ſuper eum, et iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet; neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quaſſatam non confringet, et linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium. Et in nomine eius gentes ſperabunt.* Ex his, gentilibus ſcilicet, erat centurio ille *a*), qui indignum ſe ratus, in cuius domum Chriſtus intraret, dum filium ſuum paralyticum ſanari rogabat, teſtimonium ab illo accepit: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel; dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cælorum; filii autem regni eiicientur foras.* Filii regni ſunt Judæi, quibus Meſſias promiſſus eſt rex regum, et Dominus dominantium, ſed non qualem Judæi imaginabantur.

Paſſim Chriſtus de regno ſuo verba iniicit, ſed plerumque in parabolis, aut ea-

a) *Matth. VIII.* 8.

Caput CLXIII.

rum explicatione apud diſcipulos ſuos, veluti Matth. XIII. 19. de parabola ſeminantis, ubi *vos ergo*, ait, *audite parabolam ſeminantis. Omnis, qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus et rapit, quod ſeminatum est in corde eius.* Tales tunc erant, quibus fruſtra per triennium Chriſtus, et ante ipsum præcurſor Joannes appropinquans regnum Dei prædicaverat. Sic parabolam de zizaniis ibidem 38. explicans Chriſtus, *ager autem*, inquit, *est mundus, bonum vero ſemen ſunt filii regni.* Ut vero palam ſit etiam de regno in terris ſermonem esse, paulo poſt dicitur: *Mittet filius hominis angelos ſuos, et colligent de regno eius omnia ſcandala.* Hoc est quod Matth. XXIV. 14. dicitur: *Et prædicabitur hoc evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: et tunc erit conſummatio.* Ante paſſionem vero ſuam, poſtquam factam inter apoſtolos compeſcuisset contentionem: *Quis eorum videretur esse maior a)? vos autem estis*, ſubdit, *qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit Pater meus, regnum.* Quod ad utrumque regnum Eccleſiæ et cœleſte pertinet, de hoc dicit *regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Alibi: *Regnum cœlorum non venit cum obſervatione*, prout nempe primum in Judæa prædicatum fuit a Chriſto, qui ideo Pilato

a) *Luc. XXII. 24.*

reſpondens: *Quia Rex ſum ego*, mox ſubdit; *Ego in hoc natus ſum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati a)*. Recuſabat olim, dum eum volebant facere regem, ſed ut rem Tertulliani verbis exprimam *b)*: „Regem denique fieri conſcius ſui regni, refugit.“ Dum tamen illud per paſſionem et mortem ſibi et ſuis diſponit, ſemper aliquid regiæ maieſtatis elucet, ac gloriæ, prout eo in momento diſcipulis dicit: *Nunc clarificatus est filius hominis.* Exemplum ſupra vidimus in triumphali ſuo in urbem Hieroſolymitanam ingreſſu; eoque pertinent ipſa purpura, ſceptrum, ac ſpinea corona, quibus illudebatur: *Cœperuntque ſalutare eum dicentes, ave rex Judæorum.* Ipſa etiam veſtis, quam ei induerat Herodes ἐσϑη τα λαμπραν *ſplendidam*, ex contemtu quidem, quaſi nihil ſibi de ſuo regno timendum eſſet a homine vili, et, ut ſibi videbatur, impote mentis, eoquod nihil ei reſponderet, ad ipſum miſſus a Pilato ceu Gallilæus, qualis tunc ab illis vulgo credebatur, qui nativitatem eius in Bethlehem ex ſtirpe regia David ignorabant. Et vel ideo Herodi nihil reſpondiſſe dici poteſt, ne natus Galilæus ad eius ditionem pertinere videretur. Pilato autem præſidi Romanorum, Judææ dominantium, profeſſus ſe regem, perſuaſit veluti invito et ve-

Caput CLXIII.

a) Jo. XVIII. 37. *b) De Idolatria n. 18. p. 116.*

ritatem nequaquam perſpicienti, ut deinceps conſtanter, poſt acceptam a Chriſto confeſſionem loquitur a): *Vultis ergo, ut dimittam vobis regem Judæorum?* Et apud Marcum XV. 12. *Quid ergo vultis, faciam regi Judæorum?* Et Joann. XIX. 14. *Ecce rex veſter.* Et: *Regem veſtrum crucifigam!* ante ſorte ad Pilatum delatum fuerat, paucis ante diebus in ſolemni ingreſſu urbis palam Chriſtum regem Jſrael fuiſſe proclamatum? Nec adduci potuit, ut mutaret titulum, quem ſuperſcribi iuſſerat cruci: Jesus Nazarenus Rex Judæorum.

Fallitis o Judæi, et fallimini ſiniſtra veſtra de regno Meſſiæ opinione, et imponitis Pilato dicentes: *Quia ipſe dixit, rex ſum Judæorum;* qui dum populus eum rapere vellet, et facere regem, aufugit; dudum is per patriarcham veſtrum, de cuius nomine Iſraelitæ dicti gloriamini, fatum veſtrum condixit, iugumque, quod ipſi confitemini coram Pilato præſide vos Romano imperio ſubiecti, ſubire, dicentes: *Non habemus regem, niſi cæſarem;* nec attenditis, quod prædicatum eſt manifeſte, non auferendum ſceptrum de Juda, et ducem de femore eius, *donec veniat qui mittendus eſt, et ipſe erit exſpectatio gentium:* Meſſias nempe, quem præſentem reſpuitis ex gente veſtra

a) *Jo. XVIII.* 39.

de tribu Juda ac regia ſtirpe David; quemque vos, adigentes Pilatum, ut eum crucifigeret, nominatis Jesum Nazarenum, ut falso putatis, in errorem etiam inducto eodem Pilato, ut ſcriberet: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, non in eo, quod regis titulum daret, ſed quod regem ſcriberet Judæorum, qui brevi fatum ſubituri erant eis per Danielem prophetam prænuntiatum, repudiandi, ut non essent amplius Dei populus, excidendi occiso Christo: *Et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et ſanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis eius vastitas; et post finem belli ſtatuta desolatio a)*. Horum ignarus ſcripsit Pilatus: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM; nec reminiscitur modo, Jesum ſibi contestatum fuisse, se quidem regem esse, ſed regnum ſuum non esse de hoc mundo, hoc est terrenum; quale tunc erat Romanum quartum illud in ſomno Nabuchodonosoris designatum atque a Daniele propheta explicatum cum reliquorum etiam regnorum ſeu præcipuarum monarchiarum interitu: *In diebus autem regnorum illorum ſuscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem, et consumet universa regna hæc; et ipsum ſtabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod de mon-*

a) *Dan. IX.* 26.

CAPUT CLXIII. *te abſciſſus eſt lapis ſine manibus, et comminuet teſtam et ferrum, et æs, et argentum et aurum, Deus magnus oſtendit regi, quæ ventura ſunt poſtea a)*: Lapis hic de monte abscissus est Christus Jesus natus ex Maria virgine, his ab angelo matri denunciatus verbis: *Ecce concipies in utero, et paries filium et vocabis nomen eius Jesus. Hic erit magnus et filius altiſſimi vocabitur, et dabit ei Dominus Deus ſedem David patris eius; et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni eius non erit finis.* Hic est *rex Judæorum*, quem o Judæi *negaſtis ante faciem Pilati b)!* *Noli ſcribere*, aiunt illi *c)*, *rex Judæorum; ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.* Sic dum dat ſententiam mortis, vultque exprimere condemnationis causam, designavit quodamodo latitudinem regni Christi per orbem; erat enim ſcriptum hebraice, græce et latine. „O admirabilem vim divinæ operationis, exclamat S. Augustinus *d)*, etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso ſilentio personabat, quod tanto ante in psalmorum litteris prophetatum est: Ne corrumpas tituli inscriptionem? Ecce tituli inscriptionem non corrupit; quod ſcripsit, ſcripsit. Sed etiam pontifices, qui hoc cor-

a) Dan. XI. 44. b) Act. III. 13. c) Jo. XIX. 21.
d) Tr. CXVII. in Jo. n. 5. T. III. P. II. p. 798.

rumpi volebant, quid dicebant? *Noli ſcribere*, inquiunt, *rex Judæorum; ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum.* Quid loquimini insani? Quid fieri contradicitis, quod mutare nullomodo potestis? Nunquid enim propterea non erit verum, quia Jesus ait: *Rex ſum Judæorum.* Si corrumpi non potest, quod Pilatus ſcripsit, corrumpi potest, quod veritas dixit? Sed Judæorum tantum rex est Christus, an et gentium? Imo et gentium." Hoc igitur vult titulus crucis non hebraice tantum, ſed etiam græce ſcriptus et latine indicio regni ſeu ecclesiæ Christi, per orbem dilatandæ. Quam in rem Tertullianus exordiis huius rei vicinior allato psalmistæ loco: *In omnem terram exivit ſonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum;* contra Judæos ſcribens, postquam longa ſerie nominasset regiones ac gentes, apud quas Christi iam tunc regnum fuerat: „Quid, ſubdit *a*), de Romanis dicam, qui de legionum ſuarum præsidiis imperium ſuum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni ſui possunt? Christi autem regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus ſupra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter; non regis apud illum maior gratia, non Barbari alicuius inferior lætitia, non digni-

CAPUT CLXIII.

a) C. 7. p. 189.

Caput CLXIII. tatum aut natalium cuiusquam discreta merita, omnibus æqualis, omnibus rex, omnibus iudex, omnibus Deus ac Dominus est.“

Non de hoc mundo.

Omnem hic Tertullianus differentiam regni, quod Christus a pauperibus piscatoribus, excluso omni interventu potentium huius mundi, constituit, ab aliis mundi regnis prodit, in hoc mundo, non de hoc mundo, quod imprimis S. Augustinus passim probe distinguit etiam in libris retractationum, præcipue vero in ipsa hæc verba Christi: „Quod enim, inquit *a)*, eius regnum, nisi credentes in eum, quibus dicit; de mundo non estis, et ego non ſum de mundo? Quamvis eos vellet esse in mundo; propter quod de illis dicit ad Patrem, non rogo, ut tollas eos de mundo, *ſed ut ſerves eos de malo.* Unde et hic non ait: Regnum meum non est in hoc mundo, ſed *non est de hoc mundo.* Et cum hoc probaret dicens: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis;* non ait: nunc autem regnum meum non est hic; ſed *non est hinc etc.* Hic est enim usque in finem ſæculi, quando messores venient, id est, angeli, et colligent de regno eius omnia ſcandala; quod utique non fieret, si regnum eius non esset

a) L. I. c. 3. n. 2. T. I. p. 6. L. I. de ordine n. 31. T. I. p. 328. Tr. CXV. in Jo. T. III. P. II. p. 792.

hic. Sed tamen non eſt hinc; quia peregrinamur in mundo." Putat S. Chryſoſtomus in h. l. Chriſtum voluiſſe Pilato timorem ac ſuſpicionem tyrannidis ſeu rebellionis demere. Tum quærens, an non Chriſti regnum de hoc mundo ſit; et reſpondens quomodo non ſit de hoc mundo: „Non, inquit *a)*, quod hic non imperet; ſed quod etiam in cœlis imperium obtineat." Petit vero Manichæos, abuſos hoc loco; perinde ac eius Metaphraſtes Theophilactus in h. l.: „Nam, inquit *b)*, hic regnum quidem eius eſt in hoc mundo, et ab eo regitur, et ſicut ille vult, omnia circumagit; non eſt autem de mundo regnum eius, ſed ſupernum et ante ſæcula, et non hinc, id eſt ex terrenis conſtitutum, ſed hic quidem imperat et regit: non autem eſt hinc, neque conſtitutum ex inferioribus, neque caducum: alioqui quomodo intelligeretur hoc, *in propria venit*, si mundus hic non eſſet eius proprius?" Sic etiam illud Matth. XXVI. *Non bibam amplius de hoc genimine vitis, donec bibam illum novum in regno Dei*, interpretatur de regno Chriſti in hac terra poſt reſurrectionem eius duce eodem S. Chryſoſtomo Hom. LXXXII. in Matth. n. 2. p. 783. etc. S. Laurentius Juſtinianus varias ſententias SS. Patrum de regno Chri-

a) Hom. LXXXIII. n. 4. T. VIII. pag. 495.
b) T. I. p. 753.

CAPUT CLXIII.

ſti, ſermone in Dominica de ramis Palmarum, complexus eſt his verbis *a)*: „Non ait: regnum meum non eſt in hoc mundo, ſed ſignanter dixit: *de hoc mundo*, id eſt, qualia ſunt regna iſtius mundi, quæ viciſsitudine ſua, perturbationibus et anxietatibus plena ſunt. De ipſius vero regni qualitate propheta ait: *Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, et regnum illius, quod non deſtruetur.* Regnat tamen etiam in hoc mundo, dum regit, quos condidit, ſibique ſubiectos ſuum deducit ad regnum, ac reges facit, quemadmodum per Joannem in Apocalypſi dicitur: *Et fecit nos reges, et ſacerdotes, et regnabimus in æternum.* Venit igitur rex noſter humilis, ſub carnis fragilitate obtectus, in hunc mundi campum cum diabolo pugnaturus, ut illi dirriperet dominatum, quem in hominibus eo permittente, tyrannica temeritate tenebat; noluit autem illum per divinitatis imperium, ſed per æquitatis ſuperare cenſuram. Hinc se ab illo paſſus eſt perſequi, tentari, flagellari, crucifigi, occidique. Quam ob rem iuſtitiæ exigente decreto, dum iuſtum perimit iniuſte, iniuſti principatus, quem ſibi in hominibus uſurparat, amiſit imperium. Hoc igitur adverſus aëreas poteſtates celebrato triumpho, regis noſtri ſpiritualis victoriæ ſunt propalata inſignia, præconesque

a) *Serm.* 37. *T. I. p.* 106.

directi per orbem, qui eadem universis notificarent populis, quatenus ſuum ſpiritualem agnoscerent regem, illisque fidelis confessionis tributa præstarent. “ Caput CLXIV.

CAPUT CLXIV.

PILATUS INVITUS JESUM CONDEMNAT; JUDÆI SEIPSOS EXECRANTUR.

Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo dicens: *Innocens ego ſum a ſanguine iusti huius: vos videritis. Et respondens universus populus, dixit: ſanguis eius ſuper nos, et ſuper filios nostros.* Tunc dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Matth. XXVII. 24. etc.

Quis non obstupescat et contremiscat ad feralem hanc mortis ſententiam, a iudice latam, qui de innocentia eius, quem condemnat, ſese convictum palam profitetur? Nihil equidem non egit, ut aut liberaret Jesum, aut ſese a ſententia ferenda expediret. Obtulit eum Judæis, ut reum ſecundum legem ſuam iudicarent, remittit etiam cum accusatoribus ad Herodem, il- Postquam omnes Pilati conatus ad Christum liberandum eluſissent.

Caput CLXIV. loque inde reverso, iterum profitetur *a*): *Nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accuſatis; ſed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum, et ecce, nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam*, flagellis nimirum cæsum; quem tamen innocentem agnoscit? Fecit hoc postquam incassum aliam Jesum liberandi rationem inierat Pilatus *b*). *Neceſſe autem habebat, dimittere eis per diem festum unum. Exclamavit autem ſimul universa turba dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam. . . Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. At illi ſucclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, et dimittam.* Observare vero licet et hic quandam Pilati humanitatem: cum esset, ut S. Hieronymus in h. l. notat *c*), legibus Romanis quidem sancitum, *ut qui crucifigitur, prius flagellis verberetur*, ipse flagellando Christum mitigare Judæorum animos voluit, ut posset dimittere Christum. *At illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur, et invalescebant voces eorum.* Quis unquam furor esse potuit, huic comparandus inter homines, nisi invalescentes has Judæorum voces diabolica intus rabi-

a) *Luc. XXIII.* 14. *etc.* *b*) *Ibid.* 17. *etc.*
c) *T. IV. opp. p.* 136.

es, admotis omnibus machinis expressisset? Caput
Iam ergo Pilatus ſuo et ſuorum militum fu- CLXIV.
rore Judæorum mitigare furorem ac maniam tentat. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de ſpinis imposuerunt capiti eius: et veste purpurea circumdederunt eum, et dicebant: Ave rex Judæorum, et dabant ei alapas a).* Quis unquam insultus tales, opprobria talia ac improperia adversus maleficos, quorum desperatæ res quævis humana viscera commovere ſolent, audivit aut vidit? Tentavit et hac importunissima opportunitate uti Pilatus ad liberandum Jesum *b*): *Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dixit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus, portans coronam ſpineam et purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo.* Quid vero ad hæc Judæi? Atque ex his illi, quos primos religio ad misericordiam erga miseros inflectere debebat? *Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum c).* Necdum cedit Pilatus. Ipsum Jesum, postquam frustra ſollicitasset Judæos, ut acciperent eum, ac crucifigerent, aggreditur, si forte vel ab eo rationem liberandi ipsum, vel se potius a causa expediendi, rescire posset. *Et ingressus est prætorium iterum, et dixit ad Je-*

a) *Jo. XIX.* 1. *etc.* *b*) *Ib.* 4. *etc.* *c*) *Ib.* 6.

Caput CLXIV.

ſum: Unde es tu? Jesus autem reſponſum non dedit ei a).

Judæi vero iam fortiſſimam machinam adhibent: *Si hunc*, clamant *b*), *dimittis, non es amicus cæsaris? omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit cæsari.* Quis hoc ſibi perſuaderet dici a Judæo? cui nihil infauſtius, exoſius, execrabiliusque eſſe poterat cæſare rege Judæorum, nihil adeo præter ſpem et exſpectationem oraculo omnium prophetarum de Meſſia rege ſuo ac ſimul ex eorum ſententia orbis dominatore! Pilatus vero iam cæſaris nomine territus, ſedens pro tribunali, ipſis regem Chriſtum velut ſingulari divino inſtinctu ſiſtit, et *dicit Judæis c): Ecce rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt pontifices: Non habemus regem, niſi cæsarem.* Pontifices hoc agant? Qui ignorare non poterant, non auferendum ſceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus eſt. Ut populus, ſic ſacerdos conſpirant omnes uno ore, ad ſuo ſeipſos ore condemnandos, diris devovendos, execrandosque, dum Pilato lavante veluti inter innocentes manus ſuas *d*), *reſpondens univerſus populus dixit: Sanguis eius ſuper nos et ſuper filios no-*

a) *Jo. XIX.* 9. b) *Ibid.* 12. c) *Ibid.* 14. etc. d) *Matth. XXVII.* 25.

ſtros! Quod nos anathema Judæorum ore latum, poſt tot generationes et ſæcula coram in eis completum cernimus, horreſcimus, abominamur. Stupori vero fuit ſemper, et eſt pertinaciſſima illa Judaicæ gentis pervicacia, qua tot tunc Pilati ad Chriſtum liberandum conatus fruſtrati ſunt, ac animi conſtantia; quam ſi conſervaſſet Pilatus, exſpectaturus reſponſum a Jeſu, dum quæreret ex ipſo: *Quid eſt veritas?* primitiarum inſtar eſſe potuiſſet Chriſti fidelium, Eccleſiæque ex Gentilibus congregandæ, reiecta ſynagoga, Judæis ſe ipſos condemnantibus, et cum poſteritate quoque ſua omnibus diris devoventibus, „Vobis enim *a*), ut rem verbis S. Leonis P. edicam, dicentibus: *Sanguis eius ſuper nos et ſuper filios noſtros*, merito hoc retributum eſt, ut quod veſtri generis improba perdidit portio, adſequatur hoc fidelis Gentium plenitudo. Nos ergo, dilectiſſimi, quibus Dominus noſter Jeſus Chriſtus crucifixus, non ſcandalum neque ſtultitia, ſed Dei virtus, Deique ſapientia eſt, nos, inquam, ſpiritale ſemen Abrahæ, non in prole ſervitutis geniti, ſed in familia libertatis renati: pro quibus in manu forti et brachio excelſo de oppreſſione ægyptiacæ dominationis eductus, verus et immaculatus agnus immolatus eſt Chriſtus.“

a) *Serm. II. de Paſſione Domini.*

Caput CLXV.

CAPUT CLXV.

CHRISTUS BAJULANS SIBI CRUCEM.

Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. *Et baiulans ſibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum*, Hebraice autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum. Jo. XIX. 16. etc.

Quod de Christo apostolus dicit, quomodo formam ſervi accipiens, ſeipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, hanc ſibi baiulans, exit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum: Cumque iam ſcriptus esset titulus crucis: Jesus Nazarenus Rex Judæorum, *factus est*, iuxta Isaiæ prophetiam *a*), *principatus ſuper humerum eius.* Jam qui in horto ſola voce: Ego sum, nempe qui sum, ſeu: qui est, ut nomen ſuum per Moysen manifestavit, *Deus*, idem procedit cruce oneratus, *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi b*). *Quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam c*). *Agnus qui occisus est ab origine mundi d*) præfiguratus in victimis V. T. ab origine mundi, præsertim autem in agno paschali: qua-

a) *Isai. III.* 6. *b*) *Jo. I.* 29. 36. *c*) *Jer. XI.* 19. *d*) *Apoc. XIII.* 8.

propter in cruce *non fregerunt eius crura . . . ut ſcriptura impleretur, os non comminuetis ex eo a*), quod cavetur de agno paschali *b*). Alia item impleta prophetia: *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os ſuum; ſicut ovis ad occisionem ducetur; et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os ſuum. De angustia, et iudicio ſublatus est.* De angustia in horto, et de iudicio expostulatus a Judæis, et traditus a Pilato ad crucifigendum. „Grande ſpectaculum, exclamat S. Augusinus *c*), ſed si ſpectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium; si ſpectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei munimentum; si ſpectet impietas, videt regem pro virga regni, lignum ſui portare ſupplicii; si pietas, videt regem baiulantem lignum ad ſemetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum; in eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda ſanctorum. Dicturo enim Paulo: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce D. N. J. Ch. ipsum crucem ſuam ſuo gestans humero commendabat.*" Apostolo nempe illi, qui Hebr. XIII. 13. nos animat: *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes;* iuxta præceptum ſcilicet a Christo perinde ac exemplum om-

a) *Jo. XIX.* 33. 36. *b*) *Ex. XII.* 36. *Num. IX.* 12. *c*) *Tr. CXVII. in Jo. n.* 3. *T. III. P.II. p.* 797.

Caput CLXV. nibus datum: *Dicebat autem ad omnes; si quis vult post me venire, abneget ſemetipſum et tollat crucem ſuam quotidie, et ſequatur me.*

Quis est homo natus de muliere ex conditione ſtatus lapsi ad ærumnas quotidianas, calamitatesque perenaturas in hac vita deplorabili, repletus multis miseriis, et nunquam in eodem ſtatu permanens, nec ad momentum in prospero etiam rerum curſu unquam ſecurus, tutus, ac omnino fortunatus? Quis inquam non quotidie crucem ſuam ſentit, atque ſub eius onere faticit? Cui vero nostrum tam gravis, ſicuti Domino nostro imposita est? Ecquis ſuam tantillam præ illa non lubens tollat, ac ſufferat Christum ſecutus, ut in patientia ſua possideat animam ſuam per regiam crucis viam ex brevi hac ad æternam in regno cœlorum vitam? Quis unico hoc afflictæ inauspicatæ alias huius vitæ ſolatio, quod apud ſolos habetur christianos, Christi passionibus communicantes, ſeipsum privet? Sine quo nihil in humanis, nisi conturbatio, dolor, et ægritudo, anxietas animi, tædium vitæ, desperatio, ſuicidium apud irreligiosos (abiicientes ſpem vitæ æternum beatæ post hanc præsentem per se ſola ſpectatam nunquam non funestam ac infelicem) tantopere frequentatum.

CAPUT CLXVI.

MULIERES PLANGENTES JESUM; DUM SE, SUOSQUE PLANGERE DEBEBANT.

Conversus autem ad illas Jesus dixit: *Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipsas flete, et ſuper filios vestros.* Luc. XXIII. 28.

Quod fecit Christus in triumphali ſuo ingressu in Jerusalem, dum *ut appropinquavit, videns civitatem flevit ſuper illam a)*, hoc in urbis egressu ad montem Calvariæ portans crucem, ut facerent, ſequentes se mulieres, *quæ plangebant et lamentabantur eum*, hortatur: *Quoniam*, inquit, *ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quæ non lactaverunt b)*. Prout iam antea apud eundem evangelistam prædixerat: *Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna ſuper terram, et ira populo huic.* Horribilia dictu ſunt audituque, quæ ad rem Josephus de bello Judaico præsens tunc, narrat inter alia, dum iam caperetur urbs, milites ad odorem assæ carnis, irrumpentes domum, mulierem deprehendisse assati infantis partem manducantem. *Væ autem*, quod

a) *Luc. XIX.* 41. b) *Ib. XXI.* 23.

Caput CLXVI.

Christus *prægnantibus et nutrientibus in illis diebus* prædicit, etiam iam ad primam obsidionem pertinet a Cestio Floro factam, quando adhuc evadendi, in Christianorum favorem, locus erat, animum vero obstinantibus Judæis, quorum innumerabilis multitudo confluxerat ad pascha, dum postea ad eam obsidendam Titus advenit. Ad quam obsidionem ſunt referenda, quæ Christus flens dixerat ſuper eam: *Quia venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo* (quod factum notanter Josephus, ut nullus evadere posset, describit) *et circumdabunt te, et coangustabunt te undique. Et in terram prosternent te et filios tuos, qui in te ſunt etc. a)* de quibus nempe ad mulieres locutus fuerat Christus, ad prophetas Isai. XI. 19. et Os. X. 8. provocans: *Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos, et collibus operite nos: Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* In viridi, inquit, ligno, cuiusmodi est, *quod plantatum est ſecus decursus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo b)*. Qualis vero debuerat esse gens Judaica arbor illa fici, de qua Christus per ſimilitudinem: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, et venit quærens fructum in illa et non invenit c)*. Ad quam nimirum ultimum veniens Jerusalem nihil invenit in ea, *nisi folia tantum, et ait*

a) *Luc. XIX. 43.* b) *Ps. I. 3.* c) *Luc. XIII. 6.*

illi: Nunquam ex te fructus naſcatur in æternum. Et arefacta eſt continuo ficulnea a). Viride adhuc lignum erat ſynagoga, cum Chriſtus advenisset, ſed folia tantum ferebat in umbra et figura V. T. quæ a Chriſto in N. T. erant adimplenda per paſſionem et mortem ſuam Judæis auctoribus, atque adeo iuſto iudicio maledicta et arefacta ficulnea. Quidnam ergo in arido iam (cum Chriſtus per tres annos nihil profeciſſet in adhuc viridi) efficere poterant Chriſti apoſtoli per quadraginta, qui reſtabant ad excidium, annos, totidem, quot olim, *quadraginta annis proximus fui generationi huic; et dixi ſemper hi errant corde, ipſi vero non cognoverunt vias meas, quibus iuravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam b)*.

a) Matth. XXI. 19. *b) Ps. XCVI.*

Caput CLXVII.

CAPUT CLXVII.

CHRISTUS AFFIXUS CRUCI PRO CRUCIFIXORIBUS ORANS.

Postquam venerat ad locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum, et latrones unum a dextris, et alterum a ſinistris. *Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt.* Luc. XXIII. 3.

Silentium rumpit.

Sic igitur Christus fit pro nobis maledictum ſuspensus in ligno inter duos latrones, *delens quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipso a).* Sic princeps huius mundi eiectus est foras, et ipse *mundus* Paulo *crucifixus* dicitur, *et ego*, addit, *mundo b).* Et paulo post *c): Nemo mihi molestus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Cum Traianus imp. S. Ignatium M. ad iudicium vocatum, ut in eius martyrio apud P. Ruinart legitur, cacodæmonem vocasset: „Ignatius dixit: Nemo Theophorum cacodæmonem appellat. Abscedunt enim dæmones a ſervis Dei. Traianus dixit: Et quis est Theophorus?

a) Col. II. 14. *b) Gal. III. 14.* *c) Ib. 17.*

Ignatius reſpondit: Qui Chriſtum habet in pectore etc. Traianus dixit: Illum dicis, qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt? Ignatius dixit: Illum dico, qui peccatum meum cum ſuo inventore crucifixit." Eſt hoc myſterium cruci affixi D. N. J. Ch. inter duos latrones *unum a dextris, et alterum a ſiniſtris:* prout nimirum aliquando tremendus iudex *ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hœdos autem a ſiniſtris a).* Sic igitur *ibi crucifixerunt eum.* Siſte hic, o homo! viator chriſtiane ad immane hoc Verbi divini incarnati, in cruce ſuſpenſi inter aëra ſpectaculum. Dum natura exhorreſcit, cœlum obtenebratur, terra conquaſſatur, portæ ſcinduntur, an ſolus homo excors, tanquam mente ſit excæcata, ac plus quam ſaxeo, ferreo, æneoque pectore, quod tanto portento non concutiatur, conteratur, liqueſcatque, ſaltem ad amabiliſſimum ſimul ac doloroſiſſimum aſpectum crucifixi ſalvatoris, brachia ad nos amplexandos, ac omnia ad ſe trahenda expandentis, diriſſimoſque inter cruciatus prima in cruce ad Patrem cœleſtem emiſſa voce pro ſuis crucifixoribus ſuſpirantis?

CAPUT CLXVII.

En abſolutiſſimam pietatem, atque inenarrabilem benignitatem Salvatoris noſtri crucifixi! Qui nobis, ut inimicos diliga-

a) *Matth. XXV.* 33.

Caput CLXVII.

mus, atque pro persequentibus oremus, præceptum dedit, hanc inter passionem edit vocem, cum cruci affixus inter acerbissimos dolores, quos acutissimos tunc esse oportuit, dum in altum effertur, et distensis horribilem in modum nervis, fixuraque clavorum exasperata, concussa ſunt omnia ossa eius. Ipse iam exaltatus a terra memor verbi ſui, nihil prius habet, quam orare Patrem pro crucifixoribus ſuis, lætis illis, et ovantibus, dum, quod tantis vociferationibus a Pilato furibundi extorserant, iam crucifixum coram cernunt. Ipse autem, „*Pater*, inquit *a*), *dimitte illis*, *quia neſciunt*, *quid faciunt*, ſilentium hac primum voce, quod hactenus tenuerat, rumpens. „ Qualis est hic, exclamat S. Anselmus *b*), qui in omnibus pressuris ſuis nec ſemel os ſuum aperuit, ut aut quereretur, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum adversus maledictos canes istos proferret: et novissime verbum benedictionis, quale a ſæculo non est auditum, ſuper inimicos ſuos effudit? Quid hoc viro mansuetius. Quid benignius anima mea, vidisti "? Et postea quasi abreptum dolore resumit verbum: „ Quid tu? Non mirum, si ſole contristato, tu contristaris, si terra contremiscente, tu contre-

a) *Medit. IX. de humanitate Christi pag.* 219.
b) *Medit. XV. p.* 232.

miſcis: ſi ſciſſis ſaxis, cor tuum ſcinditur: ſi flentibus iuxta crucem mulieribus, tu conclamas. Inde in omnibus iis conſidera illud dulciſſimum pectus, quam tranquillitatem ſervaverit pietatis. Non ſuam attendit iniuriam, non pœnam reputat, non ſentit contumelias, ſed ipſis potius, a quibus patitur, ille compatitur: a quibus vulneratur, illis medetur: illis vitam procurat, a quibus occiditur. Cum qua mentis dulcedine, cum qua ſpiritus devotione, cum qua charitatis plenitudine clamat: *Pater ignoſce illis?* Ecce ego, Domine tuæ maieſtatis adorator, non tui corporis interfector: tuæ mortis venerator, non tuæ paſſionis deriſor: tuæ miſericordiæ contemplator, non infirmitatis contemptor! Interpellet itaque pro me tua dulcis humanitas, commendet me Patri tuo tua ineffabilis pietas. Dic igitur dulcis Domine: *Pater ignoſce illi.*" Audiamus etiam et S. Bernardum, qui ſerm. XLIII. in Cantica de ſe ipſo teſtatur *a*) ſe ab ineunte ſua converſatione, faſciculum collectum ex omnibus anxietatibus, et amaritudinibus Domini colligare, et inter ubera ſua collocaſſe, poſtquam in ſermone de paſſione Domini enormitatem ſceleris in Chriſtum Domini, ad quod *expalluit et expavit machina mundialis b*), ob oculos poſuiſ-

CAPUT CLXVII.

a) *Num.* 3. *T. IV. p.* 1418. *b*) *T. III. p.* 887.

CAPUT CLXVII. ſet, vicissim vero Christum pro crucifixoribus orantem, tandem; „ Tu autem quid? exclamat *a*), in ipsa elevatione manuum tuarum, cum iam ſacrificium matutinum in holocaustum vespertinum transiret: in ipsa, inquam, virtute incensi, quod cœlos ascendebat, terram operiebat, inferos respergebat, exaudiendus pro reverentia tua clamas: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt!* O quam multus es ad ignoscendum! O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! O quam longe ſunt cogitationes tuæ a cogitationibus nostris! O quam firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira res! ille clamat: *Ignosce*; Judæi: *Crucifige.* "

a) *Num.* 9.

CAPUT CLXVIII.

JUDÆI BLASPHEMANTES CHRISTUM IN CRUCE.

Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua, et dicentes: Vah, qui deſtruis templum Dei, et in triduo illud reædificas: Salva temetipſum: Si Filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter et principes ſacerdotum illudentes cum ſcribis et ſenioribus dicebant: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, et credimus ei.* Confidit in Deo, liberet nunc, ſi vult eum . . . Idipſum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei. Matth. XXVII. 39. etc.

Petunt illudendo ut deſcendat de cruce.

Habemus hic imprimis caput illud accuſationum, ac ſi Chriſtus templum Hieroſolymitanum, ſi deſtrueretur, dixerit, ſe in triduo reædificaturum, cum ipſe templum divinitatis ſuæ, corpus nempe ſuum obtulerit deſtruendum in cruce, a ſe autem propria virtute reſuſcitandum. Utique, ſi tunc obſecundaſſet Judæis deſcendens adhuc vivus de cruce, myſterium redemtionis noſtræ morte ſua non compleſſet: nec tam grande miraculum fuiſſet vivum deſcendere

Caput CLXVIII. de cruce, quam mortuum reſurgere. „Ubi eſt, Judæos compellat Caſſiodorus in Ps. LXIII. *a*), Judæi infidelitas veſtra? adhuc de vivo dicebatis: *Si rex Israel eſt*, *deſcendat de cruce.* Vos ipſos conſulo, vos ipſos in iudicium voco: quanto mirabilius eſt, mortuum poſſe reſurgere, quam adhuc vivum de cruce velle deſcendere. Parva petiſtis, dum maiora provenerint. Sed infidelitas veſtra non potuit ſanari ſignis multo fortioribus, quam petiſtis." Dum igitur oblatus eſt, quia ipſe voluit, ac bonus paſtor pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit, non quod ipſi irridendo, blaſphemandoque volebant, antequam moreretur in cruce, deſcendit, ſed ſeipſum mortuum reſuſcitando, ſuis etiam in reſurrectione glorioſa corporum præivit. „Non enim, ſunt verba Origenis *b*), ipſe deſtruit templum, ſed quod alii deſtruunt, ipſe ædificat: ſive templum proprium corporis, quod a Judæis fuerat traditum morti, ſive teſtium ſuorum et omnium, qui habuerunt verbum Dei in ſe, et ex inſidiis impiorum propter pietatem mortui ſunt. *Veniet* enim *hora*, *quando omnes*, *qui in monumentis ſunt*, *audient vocem Filii Dei*, et *reſurgent.* Et non ſolum in eo quod dicebant: *qui deſtruis templum*, mentiti ſunt, ſed etiam illud, quod dixerunt: *et ego in triduo reædificabo ipſum.* Nec enim dixit,

a) *T. II. p.* 195. *b*) *In Matth. T. III. p.* 922.

reædificaturum. Sermo enim ædificationis non oſtendit ſubitaneum opus, ſuſcitationis autem oſtendit. Et qui quidem deridebant, dicebant: *Salva teipſum:* ipſe autem accipiens virtutem a Patre, et hoc fecit, et amplius. Cunctis enim capientibus verbum ſuum, ſalutem ſuam oſtendit." .

Caput CLXVIII.

Uni latronum converſo promittitur paradiſus.

Cum Judæis blaſphemantibus et irridentibus unus etiam latronum idipſum apud Lucam dicebat *a*): *Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, et nos;* alter autem non ſine myſterio gratuitæ vocationis, quo nullum inſignius, quam hoc in cruce eſſe potuit, dum unus latronum ſubito virtute crucis, gratia crucifixi converſus increpans ſocium, Chriſtum rogat: *Memento mei, cum veneris in regnum tuum!*

Unde tam ſubito tam magna latroni fides? tanta felicitas, ut cum Petro apoſtolorum principe comparari queat, ac dici beatus: *Quia non caro et ſanguis revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt b*). Ecce adhuc apoſtoli poſt reſurrectionem, antequam Spiritu S. illuminarentur, vulgi opinione detenti, Chriſtum iam aſcenſurum in cœlum interrogant: *Si in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael c*) in terris nempe, quod ſperabant Judæi ſolium David reſtituendi, hic

a) *Luc. XXIII.* 39. *b*) *Matth. XVI.* 17. *c*) *Act. I.* 6.

Caput CLXVIII.

latro autem iam moriturus a morituro in cruce Christo petit ſui meminisse, cum venerit post mortem in regnum ſuum, agnoscens se cum ſocio digna factis recipere, et meretur audire a Christo: *Hodie mecum eris in paradiso a).* O divinam ſalvatoris in cruce ſententiam, redimentis humanum genus, paradisoque restituentis eos Adæ posteros, quorum repræsentat hic latro personam! „Ait enim Jesus, ſunt verba S. Leonis P. Serm. II. de Pass. Dni. *Hodie mecum eris in paradiso:* „Excedit humanam conditionem ista promissio; nec tam de ligno crucis, quam de throno editur potestatis. Ab illa altitudine præmium datur fidei, in qua chirographum humanæ transgressionis aboletur: quia se forma ſervi a Dei forma non dirimit, dum etiam inter ipsa ſupplicia proprietatem unitatemque ſuam ſervavit, et deitas inviolabilis, et natura passibilis.“ Judæi improperando: *Alios ſalvos fecit, se ipsum non potest ſalvum facere; Christus rex Israel etc. b)* agnoscunt quidem, Christum (quod fecit, miracula patrando) alios ſalvos fecisse, ſed temerarie volunt, ut descendat nunc de cruce, *ut videamus, et credamus;* latro vero conversus, nec ipse petit liberari, ſeu descendere de cruce, nec ut Christus descendat, ſed ut mortuus in cruce ſui meminerit, cum venerit in reg-

a) Luc. XXIII. 43. b) Marc. XV. 31.

num ſuum, illum verum agnoſcens in cruce regem Iſrael, quem ſocius latro cum Judæis ſpectatoribus vocat illudendo. Neceſse est, latrones hos prius habuisse de Christo notitiam. Et quem vel tot, ac tanta eius miracula latere potuerunt? „Viderat forsitan, de converso latrone ait S. Anselmus a), latro iste te antea cæcos illuminantem, vel mortuos ſuscitantem, et non adoraverat te. Tunc vero, quando videt te pendere in ligno, adorat te dicens: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum!* Hoc fecit in illum crux tua. Verius, et perfectius cognovit iste te in cruce pendentem, quam in templo docentem, aut miracula facientem. O quanta est virtus crucis tuæ, quanta est gloria pendentis in ligno! Latro iste, ubi vidit tuum lignum, mox cognovit tuum regnum; et ubi te pendere aspexit, ibi quod regnares, intellexit. O quantus odor de cruce exibat, qui omnem infidelitatem ab eo repellebat! O quam digne vocabat te Dominum ſuum, qui veraciter ſciebat se ſervum tuum, quia oculis ſuis intuebatur pretium, quo redimebas penitus mundum universum! Sed quid bone Jesu, quid dulcissime Domine, respondisti latroni te oranti in cruce? *Hodie mecum eris in paradiso.* Et quid est hoc, o rex desiderabi-

a) *Orat. XLII. ad crucem Domini p. 275.*

lis! Tu clavis affigeris, et paradisum promittis? Tu pendes in ligno, et latroni dicis: *Hodie mecum eris in paradiso.* Et o desiderium animarum! ubi est paradisus, quia dicis latroni: *Hodie mecum eris in paradiso?* An paradisus tecum est, et ubi tu vis, paradisus est? An tu indubitanter paradisus es, quia tam confidenter promittis: *Hodie mecum eris in paradiso?* Credo Domine, credo certe, quod ubi tu vis, et ubi tu es, ibi paradisus est; et esse tecum, hoc est esse in paradiso." Cui hæc paradoxa videantur, ſibi ob oculos ponat, atque in animum inducat Christum eo die descendentem in infernum, ſeseque redemtorem præsentantem, ibique cum cæteris electis patribus, et patriarchis David regi psallenti: *Quid mihi est in cælo, et a te, quid volui ſuper terram?*

CAPUT CLXIX.

CHRISTUS IN CRUCE MATRI PROVIDET.

Stabat autem iuxta crucem Jesu mater eius, et ſoror matris eius Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum ſtantem, quem diligebat, *dicit matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* Et ex illa hora accepit eam discipulus in ſua. Jo. XIX. 25. etc.

Hæc est feralis illa hora, quam virgini matri filium ſuum post partum in templo præsentanti ſenex Simeon prædixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; doloris, non ferri, ut fuerunt etiam ex antiquioribus, qui ſibi persuaderent. Stabat autem dolorosissima quidem, nihil tamen indecorum, indignumque tanta matre aut gestu habituque corporis, aut voce, vociferatione muliebri, vel ſingultibus præſeferens; intrepida vero et plusquam virili constantia, cum apostoli fugam arripuissent, ipsa cum Joanne dilecto discipulo procedit ad crucem; non erubescens, nec timens, inter tot filio ſuo insultantes ad ſpectaculum consistit tragicum, filium contuita manus

Ceu per testamentum.

Caput CLXIX. in cruce extendentem ad populum non credentem, ſed contradicentem ſibi, nec quidquam de cruciatu ſuo, maximisque doloribus conquerentem, quin pro ſuis crucifixoribus orantem, latroni converso paradisum promittentem, deque matre, et discipulo (qui tunc electorum ecclesiam crucis meritum participantem repræsentabant) filiali affectu ſollicitum, eo id nobis ipso evangelista testificante, cui matrem, a filio iam in hac vita derelinquendam, commendavit, Joanne, inquam; de quo S. Ambrosius: „Solus ergo, ait *a*), me docet, quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus appellaverit matrem, pluris putans, quod victor ſuppliciorum, atque pœnarum, victor diaboli pietatis officia dividebat; quam quod regnum cœleste donabat. Nam si religiosum est, quod latroni venia datur a Domino, multo religiosius, quod mater honoratur a filio. Nec præposterum iudicetur, quod prius latronis absolutionem, quam matris appellationem ſcripsi; qui enim venerat ſalvos facere peccatores, non absurdum, si prius in meis ſcriptis ſusceptum munus in redimenda ſalute peccatorum implevit. Denique ipse ait: *Quæ est mater mea, et qui ſunt fratres mei?* Quia non venerat vocare iustos, ſed peccatores. Sed ibi pro loco,

a) *Expos. Ev. ſec. Luc. L. X. n.* 130. *T. I. p.* 1532.

hic et in cruce non immemor matris, appellat eam dicens: *Ecce filius tuus;* et Joanni: *Ecce mater tua.* Teſtabatur de cruce Chriſtus, et teſtamentum eius ſignabat Joannes, dignus tanto teſtatore teſtis. Bonum teſtamentum non pecuniæ, ſed vitæ; quod non atramento ſcribitur, ſed ſpiritu Dei vivi: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis;* ſed nec Maria minor, quam matrem Chriſti decebat, fugientibus apoſtolis ante crucem ſtabat, et piis ſpectabat oculis filii vulnera, quia exſpectabat non pignoris mortem, ſed mundi ſalutem.“ Quem hic S. Ambroſius extollit S. Joannem veluti teſtamenti (eoquod Chriſtus in cruce, veſtibus etiam militibus ſorte cedentibus, moriturus nihil in hoc mundo de ſuo relinqueret niſi matrem, nec habens, in cruce præſertim, ubi caput reclinaret) ſignatorem, eum teſtamentarium adoptatorem admirabundus conſiderat S. J. Chryſoſtomus: „Papæ, inquit *a*), quantum honorem diſcipulo collatum! Cum enim ipſe iam abiret, ipſam diſcipulo curandam tradit. Quia enim credibile erat ipſam, utpote matrem, dolere, et patrocinium quærere, iure illam diſcipulo tradit dicens: *Ecce mater tua.* Hæc porro dicebat, ipſos mutuo coniungens amore; quod cum intelligeret diſcipulus, ipſam in ſua accepit. Cur autem

a) *Hom. LXXXV. in Jo. n. 2. T. VIII. p.* 506.

nullam aliam memoravit mulierem, licet alia quoque adstaret? Ut nos doceret plus tribuendum matribus esse." Sic S. Augustinus: „Facit, inquit *a*), quod faciendum admonet, et exemplo ſuo ſuos instruxit præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus; tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. Ex hac ſana doctrina didicerat Paulus apostolus, quod docebat, quando dicebat: *Si quis autem ſuis, maxime domesticis non providet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes filiis, aut parentibus filii? Huius itaque ſaluberrimi præcepti ipse magister ſanctorum de se ipso constituebat exemplum, quando non ut famulæ Deus, quam creaverat, et regebat, ſed ut matri homo, de qua creatus fuerat, et quam relinquebat, alterum quodammodo filium providebat. Nam cur hoc fecerit, quod ſequitur indicat; ait enim evangelista: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in ſua*; de se ipso dicens." Eandem matris considerationem expendens S. Gregorius M. in comparationem affert verba illa Christi ad matrem in Cana Galilææ, dum illa, quod vinum deesset, ſuggereret: *Quid mihi, et tibi est mulier b)?* „Ac si, inquit *c*), aperte dice-

a) *Tract. CXIX. in Jo. n. 2. T. III. P. II. p.* 802. *b*) *Jo. II.* 4. *c*) *Regest. Epist. L. III. Ep.* 39. *T. II. p.* 1070.

ret: Unde facere miraculum possum, hoc mihi ex patre, non ex matre est. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura patris miracula faciebat. Unde et in cruce positus, eandem matrem moriens recognovit, quam discipulo commendavit dicens: *Ecce mater tua.* Ait ergo: *Quid mihi, et tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Quod est: In miraculo, quod ex tua natura est, non habeo, te minime recognosco. Cum hora mortis venerit, cognosco te matrem, quia unde mori possum, hoc ex te habeo." Add. V. Beda in h. l. T. V. p. 608.

Caput CLXX.

CAPUT CLXX.

CHRISTUS SE DERELICTUM IN CRUCE CLAMANS.

A Sexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper universam terram usque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens: Eli Eli Lamma Sabacthani? hoc est: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. XXVII. 45, 46.

In persona nostra.

Postquam iam Christus per tres circiter horas, quando tenebræ factæ ſunt ab hora ſexta usque ad nonam, patientissime acerbissimos tulisset crucis dolores, in iis, quæ per hoc tempus locutus fuerat, de ali-

Caput CLXX.

is potius, quam de ſe ipſo ſollicitus; iamiam ne videretur doloris expers, quæ fuit non paucorum hæreticorum ſententia, utque hominis extrema patientis ſupplicia veluti a Deo derelicti perſonam exprimeret Pſalmi XXI. (quem, ſunt qui putant, in ſua perſona ſcriptum, oraſſe integrum) verba: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* clamans voce magna, ut ab omnibus audiretur, in perſona eorum, quorum cauſa patiebatur, ad Patrem ſuum cœleſtem effudit. „Hæc vox, ſunt verba Tertulliani conta Praxeam Patripaſſianum, carnis, et animæ, id eſt hominis, non ſermonis, nec ſpiritus, id eſt, non Dei, propterea emiſſa eſt, ut impaſſibilem Deum oſtenderet. qui ſic filium dereliquit, dum hominem eius tradidit in mortem. Hoc et Apoſtolus ſenſit, ſcribens: *Sic Pater filio non pepercit.* Hoc et Jſaias prior pronuntiavit: *Et Dominus eum tradidit pro delictis noſtris.* Sic dereliquit, dum non parcit: ſic dereliquit, dum tradidit“. Pro nobis nempe, atque adeo in noſtra perſona, ut paſſim SS. Patres interpretantur, quorum ob peccata, et infirmitates hæc ſuſtinuit. „Nos enim, inquit S. Cregorius Nazianzenus *a*), eramus derelicti illi prius, atque contemti.“ Conſentiunt SS. Hilarius, et Hieronymus in hunc locum, et S. Ambroſius in Lucam.

a) *Orat. XXXVI.*

et alibi, aliique. S. Augustinus in Psalm. XXI. a) *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti:* „ Quare, inquit, dicitur, nisi quia nos ibi eramus, nisi quia corpus Christi ecclesia? " Ubi, et postea in Psalm. XXXVII. b) totum psalmum in persona Christi dictum asserit. Et in Psalm. XLIX. c) Unde ergo, ait, *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti:* nisi quia in carne infirmitatis agnoscebatur vox peccatoris? Qui enim ſuscepit ſimilitudinem carnis peccati, cur non ſusciperet ſimilitudinem vocis peccati? " S. Leo, „ caput nostrum, inquit d), Dominus Jesus Christus omnia in se corporis ſui membra transformans, quod olim in psalmo eructarat, id in ſupplicio crucis ſub redemtorum ſuorum voce clamabat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* " Totum mysterium explanans ſermone ſequenti idem S. pontifex, difficultati occurrit circa hæc verba in persona Christi: „ Tanquam, inquit, fixo Jesu in crucis ligno paternæ ab eo Deitatis omnipotentia recessisset; cum in tantam unitatem Dei et hominis natura convenerit, ut nec ſupplicio potuerit dirimi, nec morte disiungi. Manente enim in ſua proprietate utraque ſubstantia, nec Deus dereliquit ſui corporis passionem, nec Deum fe-

a) *T. IV. p.* 95. b) *Pag.* 297. c) *Pag.* 446.
d) *Serm. XVI. de Pass. Dom.*

Caput CLXX.

cit caro paſſibilem: quia Divinitas, quæ erat in dolente, non erat in dolore. Ideo ergo Jesus voce magna clamabat, dicens: *Quare me dereliquisti?* ut notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, ſed ſævientium manibus derelinqui, hoc est, ſalvatorem mundi fieri, et omnium hominum redemtorem: non per miseriam, ſed per misericordiam; nec amissione auxilii, ſed definitione moriendi. "

Theophylactus, quod in verbis Tertulliani allatis anceps videatur et durum, emollit, ſimulque aliorum SS. PP. ſententiam firmat: „Ex persona, inquit a), humanæ naturæ dicit: quasi diceret: Cur me hominem dereliquisti, o Deus, ut opus habeam Deo, qui pro me crucifigatur? Nos enim homines ſuimus deserti, ille nunquam a Patre derelictus est. "

a) *In Marc. CXV. T. I. p.* 259.

CAPUT CLXXI.

MORS CHRISTI IN CRUCE.

Caput CLXXI.

Clamans voce magna Jeſus ait: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens exſpiravit. Videns autem centurio, quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens: Vere hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum istud, et videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. Luc. XXIII. 46. etc.

Spontanea.

Ecce centurio videns, quod factum fuerat, glorificat Deum dicens: *Vere hic homo iustus erat.* Et Matth. XXVII. 54. *Qui cum eo erant, custodientes Jeſum, viſo terræ motu, et his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere filius Dei erat iste.* Erant hi gentiles, quorum nos, reiecta iudaica gente, posteri. Annon, dum Deum mortuum cogitamus, horrore concutiamur? erectis tamen animis amorem iungentes dolori, ſi perpendimus in Dei ſupplicio animæ lytrum. Quippe *iustitia et pax oſculatæ ſunt:* opus redemtionis nostræ conſummatum est. *Cum ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit: Conſummatum est. Et inclinato capite, tradidit ſpiritum a).* Nempe ut habet S. Augusti-

a) *Joan. XIX. 30.*

Caput CLXXI. nus; „ inclinato capite ad osculum nobis præbendum; aperto corde, ut eo nos recipiat; expanſis brachiis ad nos amplectendos, totum corpus dat ad redimendum. “

In Christo Jesu Domino noſtro usque ad extremum ſpiritum in cruce (in qua tanquam infamis malefactor inter duos latrones pendebat, ſimul vero ceu in ſolio elatus a terra rex orbem a se redemtum proſpiciebat, et in duobus latronibus ſpecimen iudicii extremi informabat) ima cum ſummis, humilia cum divinis conſpicua erant. Et ſic habetur, *mors Domini inter tria* illa *myſteria clamoris*, *quæ in ſilentio Dei*, quo nempe Chriſtus ſemetipſum exinavit, *operata ſunt*, ut iam ex S. Ignatio M. notavimus *a*). „ Cum mortem, ut cum Origine loquar *b*), nihil aliud definiant ſapientes, quam ſeparationem animæ a corpore, videamus, ne forte aliud ſit ſimpliciter mori, aliud autem voce magna clamare, et emittere ſpiritum, ſicut præſens exponit Matthæus: aut in manus Dei commendare ſpiritum, ſecundum quod dicit Lucas; aut inclinare caput, et tradere ſpiritum, ſicut Joannes exponit. Et mori quidem omnium hominum eſt etiam malorum, quoniam omnium animæ ſeparantur a corpore, etiam iniquorum, qui dicere non poſſunt, quæ

a) *Epiſt. ad Ephes. n.* 19. *b*) *In Matth. T. III. p.* 926.

dixit Christus exiens de corpore ſuo. Magnam autem vocem clamare, et ſic emittere ſpiritum, quod est in manus Domini commendare ſpiritum: aut inclinare caput, et tradere ſpiritum, non est niſi tantum ſanctorum, qui bonis operibus Deum ſibi præparaverunt, ſicut et Christus, ut poſſint exeuntes de mundo fiducialiter in manus Dei commendare, vel tradere ſpiritum ſuum." Convenienter hæc ad ea dicta ſunt, quæ in S. Luca leguntur. Unde et ſancti moribundi verbis Christi, ſeu Psalmiſtæ: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, uſi ſunt. Id vero ſupra naturam noſtram eſt, ac divinum, ſic clamantem exſpirare, quod ſolum (omiſſis verbis: *Pater in manus tuas etc.*, quæ apud Lucam habentur) Matthæus, et Marcus dicunt; de centurione autem, et iis, qui cum ipſo erant, illum iuſtum, filiumque Dei agnoviſſe. *Videns autem*, apud Marcum XV. 39. legitur, *centurio, qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans exſpiraſſet, ait: Vere hic homo filius Dei erat.* Atque adeo Christum extremo halitu, dum ſic inſolito prorſus, et ſupra naturam noſtram poſito modo verba fundens, clamans voce magna exſpirat, ſe eum monſtravit, quem ſe in concilio adiuratus per Deum vivum a principe ſacerdotum interroganti, *ſi tu es Christus filius Dei a)*, profeſſus eſt:

a) Matth. XXVI. 63.

CAPUT CLXXI.

Ego ſum a), agnoſcentibus illis, ex quibus eccleſia reiectis Judæis congreganda erat, ac dicentibus: *Vere filius Dei erat iste.* Quæ in verba S. Hieronymus, „nullus, ait *b*), habet poteſtatem dimittendi ſpiritum, niſi ille, qui animarum conditor eſt.“ Quippe penes Deum ſolum eſt hæc poteſtas vitæ, et mortis, ut de ſe dixerat Chriſtus *c*): *Quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a me: ſed ego pono eam a me-ipſo, et poteſtatem habeo ponendi eam, et poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*

Igitur dum voluit Chriſtus auctor vitæ et mortis, mortem oppetiit, poſtquam omnia conſummata ſunt, ut apud Joannem legitur *d*): *Sciens Jeſus, quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur ſcriptura, dixit: Sitio.* Et mox: *Cum accepiſſet acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum;* ſua ſponte, nimirum ſine violentia: „Quia, ſunt verba S. Auguſtini in h. l. *e*), nihil remanſerat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oporteret, tanquam ille, qui poteſtatem habebat ponendi animam ſuam, et iterum ſumendi eam; peractis omnibus, quæ, ut peragerentur, exſpectabat: *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* Quis ita dormit, quando voluit?

a) *Marc. XIV.* 62. *b*) *T. IV. p.* 140. *c*) *Jo. X.* 17. 18. *d*) *Ib. XIX.* 28. *e*) *Tr. CXIX. in Jo. n.* 6. *p.* 803.

Quis ita veſtem ponit, quando voluerit, ſicut ſe carne exuit, quando voluit? Quis ita cum voluerit, abit, quomodo, cum voluit, obiit? Quanta ſperanda, vel timenda poteſtas eſt iudicantis, ſi apparuit tanta morientis?" Et S. Bernardus: *Cum accepiſſet*, inquit *a*), *acetum*, *dixit: Conſummatum eſt.* „Nihil reſtat implendum; iam non eſt, quod exſpectem. *Et inclinato capite*, factus obediens usque ad mortem *tradidit ſpiritum.* Quis tam facile, quando vult, dormit? Magna quidem infirmitas mori; ſed plane ſic mori virtus immenſa. Nempe quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Poteſt humana veſania ſibi ipſi in mortem ſceleratas iniicere manus; ſed hoc non eſt, ponere animam ſuam; urgere eam magis, et violenter abrumpere, quam ad nutum ponere eſt. Tibi impie Juda, miſera plane voluntas fuit, non ponendi animam, ſed pendendi; nec tradente te, ſed trahente laqueo nequiſſimus ille ſpiritus exivit, non emiſſus a te, ſed amiſſus. Solus in mortem tradidit animam ſuam, qui ſolus virtute propria regreſſus eſt ad vitam. Solus poteſtatem habuit ponendi, qui ſolus facultatem æque liberam habuit reſumendi, imperium habens vitæ et mortis." S. Thomas in cap. XXVII. Matth. T. III. pag. 376.: „Voluit, in-

a) *Serm. de Paſſ. Dom. T. III. p.* 885.

Caput CLXXII. quit, mori cum magna voce, ad ſignificandum, quod ex poteſtate, et non neceſſitate moreretur; unde animam ſuam poſuit, cum voluit, et accepit, cum voluit; unde facilius fuit Chriſto ponere animam, et recipere, quam alicui dormire, et excitari."

CAPUT CLXXII.

PRODIGIA CHRISTO MORTUO.

Jesus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum, et terra mota eſt, et petræ ſciſſæ ſunt. Et monumenta aperta ſunt; et multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt; et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Centurio autem, et qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, et his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: *Vere filius Dei erat iſte.* Matth. XXVII. 50. etc.

Ex quibus gentiles Christum Filium Dei agnoscunt, Judæis obcæcatis.

Præceſſerant tenebræ ab hora ſexta usque ad horam nonam, quanto nimirum tempore Chriſtus in cruce vixit, non amplius; quod ipſum maximum fuit miraculum, ac divinitatis Chriſti argumentum, ut vidi-

mus, in ipſa iam ſecuta morte maxime conſpicuum, quod imprimis ſtupuit non centurio tantum, ſed et qui cum ipſo erant, custodientes Jesum milites, utique gentiles; dum Judæos nec velum templi ſcissum, terra mota, petræ ſcissæ, resurgentesque ex monumentis, et multis apparentes commoverent, ut dicerent, et agnoscerent, quod milites: *Vere filius Dei erat iste.* Quæ in verba: „Miraculum enim erat, inquit Origenes *a*), quoniam post tres horas receptus est, qui forte biduum victurus erat in cruce ſecundum consuetudinem eorum, qui ſuspenduntur quidem, non autem percutiuntur; ut videretur beneficium Dei fuisse, quod exſpiravit, et meritum orationis eius magis, quam violentia crucis. Illud etiam, quod in ſequentibus exponit Marcus, cum Joseph intrasset ad Pilatum, et petiisset corpus Jesu, hoc ipsum ſignificat. Sic enim dicit: *Quoniam Pilatus miratus est, si iam mortuus esset, et vocans centurionem interrogavit eum, si iam mortuus esset; et cum audisset a centurione, donavit corpus eius Joseph.*" Ubi id imprimis animadvertendum est, fuisse hunc centurionem eundem ipsum, qui, et *qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, et his, quæ fiebant*, timuisse dicuntur valde dicentes: *Vere filius Dei erat iste.* Cumque

a) *In Matth. n.* 140. *T. III. p.* 929.

Caput CLXXII.

terræ motum ſaltem etiam Pilatum audivisse oporteat, quis dubitet de his omnibus ſermonem centurioni fuisse cum Pilato, qui paucis abhinc horis nihil non egerat, ut Christum agnita eius innocentia liberaret, lotis etiam manibus innocentem a ſanguine iusti huius ſese protestatus? Quid si iam de velo templi ſcisso fama percrebescebat, ad Pilati etiam aures perveniens? de quo Tertullianus in apologetico narrat *a*) illum „ea omnia ſuper Christum et ipsum, iam ſua conscientia christianum" cæsari tunc Tiberio nunciasse. Quæ vero is denunciavit, nos latent, tacent etiam evangelistæ alia, præterquam *miratum, si iam mortuus esset, fuisse Pilatum ac centurionem b*), ut S. Joann. Chrysostomus animadvertit *c*) et paulo post, quosdam narrare, centurionem hunc in fide roboratum, martyrium fortiter ſubiisse *d*); ideo „credidisse, quia cum potestatis ſigno mortuus esset. Hæc vox, pergit *e*), velum discidit, monumenta aperuit, et domum desertam reddidit." Nempe caput rei erat, in reiectæ ſynagogæ locum Ecclesiam ex gentibus per orbem ſubstituere „ut Ecclesia nova, utor S. Ambrosii verbis *f*), fidei ſuæ vela ſuspendat. Synagogæ velamen aufertur, ut religionis interna mysteria revelato mentis

a) C. XXI. *b*) *Marc. XV.* 44. *c*) *Hom. LXXXVIII. in Matth. n.* 1. *d*) *T. VII. p.* 825. *e*) *Ib. p.* 827. *f*) *In Luc. cap. X. n.* 128. *T. I. p.* 1532.

cernamus obtutu. Denique iam etiam centurio Dei filium, quem crucifixerat, confitetur. O duriora ſaxis pectora Judæorum! Finduntur petræ, ſed horum corda obdurantur. Judex arguit, credit miniſter, proditor ſcelus ſuum morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reſerantur, Judæorum tamen immobilis duritia manet, orbe concuſſo." S. Leo Judæos, Chriſtum in cruce blaſphemantes, inceſſens „his, inquit *a*), vocibus veſtris ſtultis atque blaſphemis reddunt omnia elementa reſponſum, et unam in vos ſententiam ferunt cœlum, terra, ſol, ſideraque indignos vos ſuo miniſterio proteſtantes terribili motu, inſolitoque defectu tenebras mundo veſtræ cæcitatis oſtendunt. Quodſi ad arguendum vos nec cœleſtia, nec inferna ſufficiunt, et crucem Chriſti magis potuerunt petræ, atque monumenta, quam corda veſtra ſentire, ſaltem quod in templo actum eſt, animadvertite. Velum, cuius obiectu includuntur Sancta Sanctorum, a ſummo uſque ad imum diruptum eſt, et ſacrum illud myſticum ſecretum, quod ſolus pontifex iuſſus fuerat intrare, reſeratum eſt, ut nihil iam eſſet diſcretionis, ubi nihil reſederat ſanctitatis. Repudiatos itaque vos debuiſtis agnoſcere, et omne ius ſacerdotii perdidiſſe, quia verum erat, quod

a) *Serm. LIX. de Paſſ. X. p.* 61.

Caput CLXXIII.

veritas vobis dixerat: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi.* Merito igitur vos testamentum utrumque condemnat, et gratia vacuatos, et lege privatos, qui ideo resistitis novis, quia non credidistis antiquis." Leg. Serm. LXVI. de Pass. XVII.

CAPUT CLXXIII.

CHRISTO JAM MORTUO NON FREGERUNT EJUS CRURA.

Ad Jesum autem cum veniſſent, ut viderunt eum iam mortuum, *non fregerunt eius crura: ſed unus militum lancea latus eius aperuit*, et continuo exivit ſanguis, et aqua. Jo. XIX. 33. etc.

Aperto eius pectore.

O crudelis immanitas, ut adhuc ſæviretur in iam mortuum Christum Jesum, nec vel una corporis pars esset vulnere vacua. Ecce enim caput ſpinis coronatum, facies colaphis cæsa, corpus flagellis concisum, manus perforatæ, et pedes! *A planta pedis usque ad verticem, non est in eo ſanitas: vulnus et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo a).* Jam tentaverat, ſperaveratque Pilatus, dum Judæis Christum flagellatum, ac ſpinis coronatum ſpectandum exhibuerat, eos commo-

a) *Isa. I. 6.*

vere ad misericordiam. Id quod quanto magis exſpectari debuerat, Chriſto in cruce ad ſpectaculum expoſito in aëre, a planta pedis usque ad verticem ſaucio, vulneribus confecto atque exſangui. Si unquam humanum pectus etiam duriſſimum ad commiſerationem flectitur, id certe erga homines extremo ſupplicio afficiendos fit: ipſaque natura humana perhorreſcit ad aſpectum ſævorum cruciatuum in alieno etiam corpore. Prævenit Chriſtus quidem crurifragium crudeliſſimum tormentum clava olim, aut fuſtibus grandioribus factum; ſed Chriſtus „prævento carnificis officio, ut loquitur S. Cyprianus *a*), ſpiritum ſponte dimiſit.“ Cum nempe eſſet crurifragium ad accelerandam mortem, Chriſto, qui ſua ſponte, quia ipſe voluit, animam ſuam poſuit, ſpiritumque emiſit, non conveniebat: eratque in hoc etiam obſecundaturus voluntati cœleſtis Patris præfiguratæ in agno paſchali, in quo mactando hoc ipſum non ſemel Exod. XII. 46. Num. IX. 12. fuerat cautum, ut nobis evangeliſta ſignificat *b*): *Facta ſunt enim hæc, ut ſcriptura impleretur:* Os non comminuetis ex eo. *Et iterum alia ſcriptura dicit:* Videbunt, in quem transfixerunt. Quod poſtremum apud Zachariam prophetam XII. 10. habetur in ſpem futuræ aliquando converſionis Judæorum, qui nihil

a) *De vanitate idolorum.* *b*) *Jo. XIX. 36.*

CAPUT CLXXIII. commoti ad dirum Christi in cruce pendentis ſpectaculum, *prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita ſua a).* Nec enim vero ad veram resipiscentiam ſtupendis illis, quæ modo ad mortem Christi in cruce facta audivimus, commota est *omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum istud, et videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur b).* Quæ vero apud laudatum Zachariam prophetam leguntur, nobis, qui ex gentibus in Judæorum reprobatorum locum electi ſumus, terrorem incutere debent, de die aliquando futura, cuius appropinquantis non inania indicia habemus: *Et erit in die illa, quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Jerusalem. Et effundam ſuper domum David, et ſuper habitatores Jerusalem ſpiritum gratiæ et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu, quasi ſuper unigenitum, et dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti etc.*

a) Matth. XXVII. 39. *b) Luc. XXIII.* 48.

CAPUT CLXXIV.

Caput CLXXIV.

RESURRECTIO CHRISTI.

Veſpere autem ſabbati, quæ lucescit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre ſepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: et accedens revolvit lapidem, et ſedebat ſuper eum. Erat autem aspectus eius ſicut fulgur, et vestimentum eius ſicut nix. Præ timore autem eius exterriti ſunt custodes, et facti ſunt velut mortui. *Reſpondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos: ſcio enim, quod Jeſum, qui crucifixus est, quæritis: Non est hic; ſurrexit enim, ſicut dixit. Venite, et videte locum, ubi poſitus erat Dominus.* Matth. XXVIII. 1. etc.

Vides hic terræ motum velut continuationem eiusdem prodigii, quod in morte Christi fuit factum, ſignumque illud Jonæ ab ipso Judæis promissum, de cuius corpore illi tam ſolliciti fuerunt, ut accederent principes ſacerdotum, et Pharisæi Pilatum, rogarentque, ut custodiri iuberet ſepulchrum usque in diem tertium; postea autem corruperunt custodes data pecunia, ut dicerent, se dormientibus discipulos furatos esse cor-

Ab Apostolis asserta.

CAPUT CLXXIV.

pus. Nobis vero credentibus accommodate hæc omnia fiunt, et optato omnino accidunt ſecundum evangelium totius redemtionis noſtræ, quæ tota in ſpem resurrectionis noſtræ, devicta morte, ac foras miſſo principe huius mundi, recidit, atque recapitulatur, ut pulchre explicat S. Irenæus M. „Sicut, inquit *a*), patienter ſustinuit Deus absorberi Jonam a ceto, non ut absorberetur, et in totum periret, ſed ut evomitus magis ſubiiceretur Deo, et plus glorificaret eum, qui insuperabilem ſalutem ei donasset: ſic et ab initio fuit patiens Deus, hominem absorberi a magno ceto, qui fuit auctor prævaricationis, non ut absorptus in totum periret, ſed præstruens, et præparans ad inventionem ſalutis, quæ facta est a Verbo per ſignum Jonæ."

Dum adhuc in cruce penderet Christus, ſubsannantes petierant Judæi: *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei.* At plus fecit, ſeipsum ſua virtute resuscitando mortuum. Scimus, quales apostoli ante resurrectionem fuerant, tempore passionis præsertim, quam timidi omnes magistrum deserentes; quid facturi fuiſſent, dum eum morte turpiſſima damnatum cernebant, nisi resurgens ſeipsum conspicuum dediſſet ipsis? Tota præsertim ſpectata eorum

a) *Lib. III. contra Hær. cap.* 20. *n.* 1.

vitæ et mortis historia, evidentiſſimum apparet, longeque maius omnibus illis, quæ edita ſunt ſigna, ac prodigia, veritatis argumentum. „Cum diſcipuli ſe totos, utor verbis Origenis *a*), dederint doctrinæ, quam non ſine ſummo periculo, ut hominum tunc vita erat, profiteri poterant, ipſi mihi videntur perſpicuum eſſe, et evidens reſurrectionis argumentum. Hanc enim doctrinam, ſi finxiſſent, reſurrexiſſe Jeſum ex mortuis, tanta conſtantia non annuntiaſſent, ut non ſolum aliis mortis deſpectum inſtillarent, ſed etiam ipſi priores hanc ſubirent.“ Sic S. Joann. Chryſoſtomus, quod nec voluiſſent, nec potuiſſent fingere probat: „Multa enim illis, inquit *b*), de reſurrectione locutus frequenter fuerat, ut ipſi narrabant: *Poſt tres dies reſurgam.* Si ergo non reſurrexiſſet, manifeſtum eſt eos, utpote deceptos, et a tota gente propter ipſum impugnatos, ædibus, et urbibus pulſos, ab illius cultu diſceſſuros fuiſſe; neque enim voluiſſent de illo talem opinionem ſpargere, utpote qui decepti ab illo fuiſſent, et in extrema pro illo deducti pericula. Quod vero non potuiſſent, niſi vera reſurrectio fuiſſet, illam ſimulare, id certe admodum probabile eſt. In qua enim re fiduciam habuiſſent? In

a) *Lib. II. contra Celſum n.* 56. *T. I. p.* 431.

b) *Hom. LXXXIX. in Matth. T. VII. p.* 832.

ſermonis gravitate? At omnium imperitiſſimi erant. In pecuniarum copia? Neque virgam neque calceamenta habebant. In ſplendore generis? Ex ignobilibus orti locis erant. In multitudine? Non erant plures, quam undecim in variis diſperſi locis. In promiſſionibus magiſtri? Niſi reſurrexiſſet, nullam ipſi fidem habituri erant. Quomodo autem furentem populum ſuſtinuiſſent? Si namque Coryphæus ipſorum oſtiariæ mulieris verbum non tulit, et ſi reliqui illum vinctum videntes diſperſi ſunt; quomodo in animum induxiſſent, ad extrema orbis accurrere, ut fictum reſurrectionis verbum plantarent? Si enim ille adverſus mulieris minas non ſtetit, neque illi ad vinculorum conſpectum, quomodo poterant adverſus reges, et principes, et populos ſtare, ubi gladii, ſartagines, fornaces, et mille quotidie mortes, niſi eius, qui reſurrexerat, virtute et gratia adiuti fuiſſent? Talia tantaque ſigna facta fuerant, et nullum eorum Judæi reveriti, ſed illum crucifixerunt, et illis reſurrectionem ſimpliciter narrantibus credituri erant? Non ita ſe res habet, non ita; ſed eius qui reſurrexit, virtus hæc operata eſt."

Deterior Judæis hodierna incredulorum ſycophantarum turma nuper ab inferis revocavit eorum contra fidem reſurrectionis

obſtinaciam. Cauſantur, quod Matthæus dicit, mulieres veniſſe veſpere ſabbati ὀψὲ τῶν σαββάτων, mox ſe explicans τὸ ὀψὲ uſu Græcorum pro nocte ſe ſumere, *quæ luceſcit in prima ſabbati*; die nempe dominica illuceſcente, *orto iam ſole*; ut Matthæi epitomator habet Marcus XVI. 1. mulieribus equidem egreſſis urbe, cum adhuc tenebræ eſſent, ſub auroram iuxta S. Auguſtinum lib. III. de cons. ev. c. 24. Unde etiam diſparet difficultas de tribus diebus et tribus noctibus, quibus Matth. XII. 40. dicit Chriſtum Filium hominis futurum in corde terræ exemplo Jonæ, de quo quis dicere poteſt, eum integris diebus et noctibus fuiſſe in ventre ceti? Fuit autem Chriſtus in ſepulchro a die adveſperaſcente paraſceves diſpartitis pro more Judæorum noctibus media nocte inter diem paraſceve, ſabbati et ſequentem, quo reſurrexit orto iam ſole.

Caput CLXXIV.

Sed his aliisque immorari operæ pretium non eſt, quæ hodie irreligioſi quidam recoxerunt, qui inſania, quam aliis ceu credulis imputant, ipſi laborant increduli adhuc poſtquam fide reſurrectionis Chriſti totus mundus factus chriſtianus per tot iam ſæcula eſſe perſeverat, dum eam in dubium revocare hodie non horrent, ad omnia, niſi quæ ſuismet oculis vident, cæci ſibi-

CAPUT CLXXIV.

que ſuffeni, tot eorum testimoniis diffiſi, *quibus et præbuit ſeipsum vivum post passionem ſuam in multis argumentis a)* τεκμηρίοις ſignis certis ea assertis miraculis, quorum ipsa resurrectio præcipuum fuit in œconomia divina Evangelii Christi Verbi incarnati inter innumera ea, quæ a Christo ante mortem et resurrectionem, et postea a discipulis ſuis Evangelii præconibus Resurrectionis ſuæ testibus ſunt patrata. „ Qui enim, ut cum S. Augustino loquar *b)*, Christum in carne resurrexisse, et cum illa in cœlum ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, non loquentibus tantum, ſed etiam mirifica facientibus ſigna credebant. Si vero per apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem et ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod eam terrarum orbis ſine miraculis credidit. "

a) Act. I. 3. *b) Lib. XXII. de civit. Dei c. 5.*

CAPUT CLXXV.

CHRISTUS RESURGENS, SE ASCENSURUM IN CŒLUM FRATRIBUS DENUNTIAT.

Vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem veſtrum, Deum meum, et Deum veſtrum. Venit Maria Magdalene, annuntians diſcipulis: Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi. Jo. XX. 17. 18.

Ad Patrem, et Deum ſuum, et noſtrum.

O clementiam ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti, fructum pretii ſanguinis ſui, et miſerationis ſuæ erga diſcipulos ſuos, qui licet magiſtrum ſuum Jeſum in paſſione deſeruerint, Petrus etiam negaverit; nihilominus apud Marcum diſcipulis et Petro ſingulariter, qui iam reatum ſuum amare defleverat, reſurrectionem ſuam, locumque, ubi eum viſuri eſſent, denuntiari voluit per mulieres, quibus apparuerat, Mariam Magdalenam primam omnium. Piæ fæminæ, quæ ſequebantur Chriſtum, miniſtrantes ei de facultatibus ſuis, minus inſtructæ quam Apoſtoli, plus tamen animi, et fidei in paſſione, et morte Chriſti, ſua in monte Calvariæ præſentia, commonſtrarunt: præ cæteris vero omnibus Maria mater Jeſu cruci intrepida aſſiſtens, ut vidimus. Ne-

Caput CLXXV. que tamen ea, forte iam præſentia filii reſurgentis beata, ſociata fuit cæteris mulieribus, (quæ plenius edocta, melius etiam quam Apoſtoli omnia conſervabat in corde ſuo) *a)* dum illæ cum aromatibus ad ſepulcrum pergunt, quaſi Chriſtum in mortuo cadavere uncturæ, non ſatis de reſurrectione instructæ. Unde etiam arguentes eas angeli, dixerunt ad illas: *Quid quæritis viventem cum mortuis b)?* Nihilominus propter pium ſtudium ſuum et amorem primæ commeritæ ſunt Chriſtum poſt reſurrectionem videre, ante omnes Maria Magdalene, digna, quæ Apoſtolorum apoſtola fieret, ad denunciandam non reſurrectionem ſolum, ſed et aſcenſionem ad Patrem ſpei, et ſolatii plenam.

Hic vero quis animo aſſequatur, non dicam, ſermone exprimat, omnia ea tenerrima, ſuaviſſimaque ſenſa omnem ſenſum, et intellectum ſuperantia in verbis Chriſti contenta, plenoque ſpei, et ſolatii nuntio a Maria Magdalene ad diſcipulos deferendo, non tam de reſurrectione, quam de paſſionis, et mortis ſuæ fructu, quo hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, et fratres eius in ſpem vitæ æternæ in cœlis renuntiamur. *Non enim*, ut D. Paulus myſterium pandit, Rom. VIII. 15.

a) Luc. II. 19. *b) Ib. XX.* 5.

accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut et conglorificemur, cum Chriſto nimirum fratre in gloria Patris, ut mox Chriſtum audiemus dicentem: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, et ita intrare in gloriam ſuam?* cuius et nos, homo factus ſimilis nobis, participes fecit; qui, *cum eſſemus parvuli*, ut idem Apoſt. dicit Galat. IV. 3. etc. *ſub elementis mundi eramus ſervientes. At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra clamantem: Abba, Pater.* Sic Chriſtus iu horto, completurus iam opus redemtionis, et adoptionis noſtræ, clamat: *Abba, Pater.* Sic *et ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemtionem corporis noſtri*, quam per paſſionem corporis Chriſti adipiſcimur, eius cohæredes et fratres pleno poſt mortem, et reſurrectionem iure, quandoquidem diſcipulis ſuis hoc renunciat: *Vade ad fratres meos*, quales, niſi allegorice hactenus nunquam vocaverat. Dixerat quidem in ultimo ſer-

Caput CLXXV. mone ſuo: *Iam nan dicam vos ſervos, ſed amicos*, dum in eo erat, ut maximum dilectionis ſuæ argumentum esset editurus, animam ſuam ponendo pro amicis ſuis. Quod dum fecit, plenumque lytrum redemtionis pro iis, quorum naturam aſsumserat, persolvit, iam fratres appellat non titulo ſolo vel nomine, ſed adoptionis iure in hæreditatem æternam, quam ſibi, unigenito filio Dei, debitam cum iam abiturus esset, rediturusque ad Patrem, eius rei discipulos, in fratres ſuos ſusceptos a Patre Deoque ſuo et nostro, certiores esse voluit. *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.* „Si igitur, utor verbis S. Victricii Rotomagensis ep. *a*), communis Pater, communes et filii: communis hæreditas, communis æternitas. Sancti autem ſunt per victoriam immortalitate donati." De hac ſanctificatione D. Paulus Heb. II. *Qui enim*, inquit, *ſanctificat, et qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur eos fratres vocare dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Facit huc, quam S. Victricius affert postea pro confirmatione, oratio illa, qua Jo. XVII. ante passionem ſuam pro apostolorum primum ſanctificatione oravit Christus: *Et pro eis*, inquit, *ſanctifico me ipsum, ut ſint et ipsi ſanctificati in*

a) *Lib. de laude Sanctorum T. VIII. Bibl. PP. p.* 231.

veritate. Non pro eis autem rogo tantum, ſed et pro eis, qui credituri ſunt per verbum ipſorum, in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus, quia tu me miſiſti. Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis: ut ſint unum, ſicut et nos unum ſumus. Ego in eis, et tu in me: ut ſint conſummati in unum: et cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, et dilexiſti eos, ſicut et me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, et illi ſint mecum: ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.

Hæc aliaque, quæ continentur in illa oratione ceu in oblationem ſacrificii ac victimæ, quæ mox ipſe per paſſionem, et mortem ſuam erat futurus, recapitulantur in nuntio illo lætiſſimo, quem per Mariam Magdalene deferendum dedit reſurgens Chriſtus fratribus ſuis: *Aſcendo ad Patrem meum, et Patrem veſtrum, Deum meum, et Deum veſtrum:* Ita ut totum incarnationis, redemtionisque noſtræ myſterium tam perſpicua una hac Chriſti ſententia ſit comprehenſum, ideo tam ſimpliciter dicta, „ quia, inquit S. Ambroſius *a*), mulieri loquebatur: non enim communis nobis natura cum Chriſto, niſi conditionis humanæ.

a) *In Luc. Lib. X. n.* 167. *T. I. p.* 1540.

Caput CLXXV.

Illi Pater generatione propria, nobis adoptione voluntaria: illi per naturam, nobis per gratiam: illi Deus unitate myſterii, nobis poteſtate cœleſti. " Idem alibi *a*): „Oſtendit etiam Dei filius diſtantiam generationis, et gratiæ, dicens: *Aſcendo ad Patrem meum, et Patrem veſtrum: Deum meum, et Deum veſtrum*, non dixit: aſcendo ad Patrem noſtrum, ſed; *aſcendo ad Patrem meum, et Patrem veſtrum.* Separatio iſta diverſitatem oſtendit, quod illius generator, noſter creator ſit. Et addidit: *Deum meum, et Deum veſtrum*, quia licet ipſe et Pater unum ſint, et illi ſit Pater proprietate naturæ, nobis cœperit eſſe Deus Pater per Filium, non naturæ iure; ſed gratiæ, tamen utramque naturam hic ſignificare videtur in Chriſto et divinitatis et carnis, divinitatis ex Patre, carnis ex matre, illamque ante omnia, iſtamque ex virgine. Denique ante Patrem, ut Filius, nominavit, Deum poſtea, ut homo, nuncupavit." Nihilominus ſimul myſterium incarnationis, et adoptionis naturæ humanæ declaratur, quid Chriſtus pro nobis fieri dignatus ſit, quamque dignationem nobis Salvator attulerit, ut filii Dei nominemur, et ſimus; nos adoptione, quod ipſe natura. „Non ait Patrem noſtrum, ſunt verba S. Auguſtini *b*), aliter ergo meum,

a) *De fide Lib. I. n.* 90. *T. II. p.* 462.
b) *Tr. CXXII. in Jo. n.* 3. *T. III. P. II. p.* 808.

aliter veſtrum; natura meum, gratia veſtrum. *Et Deum meum, et Deum veſtrum*: Neque hic dixit Deum noſtrum: ergo et hic aliter meum, et aliter veſtrum: *Deum meum*, ſub quo et ego homo ſum, *Deum veſtrum*, inter quos et ipſe mediator ſum." Idem S. doctor alibi locum hunc ſublimiſſimum mente captu facilem omne deſiderium cordis noſtri exſuperantem contra Arianos vindicat perinde, ac inter alios S. Auguſtino coætaneus Capreolus epiſc. Carthaginenſis: „Hic, inquit *a*), poſt alia, evidenter ipſius Domini, id eſt, Dei et hominis, a famulorum ſuorum perſona diſtinguitur, et a natura vocatio ſeparatur. Quamvis enim id quod mandatur, iam amicis mandetur et fratribus, oſtenditur tamen, quid Domino debeatur, quid ſervis cæteris tribuatur. Potuit namque dicere: Aſcendo ad Patrem noſtrum, et ad Deum noſtrum: quia multum diſtat inter dominationem, et conditionem; inter generationem, et adoptionem; inter ſubſtantiam, et gratiam; ideoque hic non permixte, nec paſſim dicitur: Aſcendo ad Patrem noſtrum, et ad Deum noſtrum, ſed: *Aſcendo ad Patrem meum, et Patrem veſtrum, ad Deum meum, et Deum veſtrum.* Aliter enim illi Deus Pater eſt, aliter nobis. Illum ſiquidem natura coæ-

a) *Vid. S. Hilar. de Trinitate, lib. XI. n.* 14. *p.* 1090. *Bibl. PP. T. X. p.* 496.

CAPUT CLXXV.

quat, misericordia humiliat: nos vero natura prosternit, misericordia erigit. Hoc enim egit ista divina humanitas, et humana divinitas, tali ac tanto miraculo, ut huiusmodi gratiam indigna meruisset mortalium infirmitas. " Sunt hi, *quos*, iuxta apostolum Deus, *præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipse primogenitus in multis fratribus a)*. Et alibi resurrectionem Christi indigitans ait: *Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipse primatum tenens b)*. Uti etiam Apoc. I. 5. vocatur: *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* Sic Psalm. LXXXVIII. 28. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.*

a) Rom. VIII. 29. *b) Coloſs. I. 18.*

CAPUT CLXXVI.

INCREPANTUR DISCIPULI TARDI AD CREDENDUM.

Caput CLXXVI.

O ſtulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt prophetæ! Nonne hæc opportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipso erant. Luc. XXIV. 25. etc.

Oeconomiam divinam redemtionis.

Durius incessuntur duo illi discipuli a Christo, se illis incognitum iungente in via, quem experti agnoscunt virum prophetam potentem in opere, miraculis nimirum et ſermone coram Deo et hominibus; de ſpe tamen aliquatenus remittunt, quod ipse esset redemturus Israel, dum cernunt eum a ſummis ſacerdotibus et principibus ſuis traditum in damnationem mortis, et crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ut loquitur Apostolus, prædicare se crucifixum: *Vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem, et Dei ſapientiam. Quia quod ſtultum est Dei, ſapientius est hominibus; et quod infirmum Dei, fortius est hominibus a)*. Terribilis est hæc ſententia, uti etiamnum excæcatis Judæis,

a) *I. Cor. I.* 24.

Caput CLXXVI.

quibus hactenus Chriſtus crucifixus ſcandalo est, ita illis quoque ex nobis, quibus maiores fuerunt gentiles, quibus, quod ſtultum est Dei, ſapientius fuit.

Est hoc ſublime in Evangelio Chriſti, deriſum ab illis in myſteriis noſtris, qui, quod ultra eorum captum est, pro ſtulto habent; omnia ad rationis humanæ menſuram exigunt præſentaneo, si unquam alias, hodie periculo; ut ſicut olim Judaicam gentem perdidit ſcandalum crucis, ita nos perdat ſtultitia illa, ſeu quod ſtultum est Dei, habetur autem ſapientius hominibus. *Scriptum est enim; perdam ſapientiam ſapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? Ubi ſcriba? Ubi conquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi a)?*

Quantus, eheu, est hodie ita ſibi ſapientium, ſcribarum, conquiſitorum huius ſæculi numerus! Inundatur orbis chriſtianus ſcriptorum impune in vulgus ſparſorum multitudine, quibus quod ſtultum est Dei, ſapientius eſſe deprædicatur, et quod infirmum est Dei, fortius. Ipsæ divinæ ſcripturæ inceſſuntur ac ludibrio exponuntur; proſcinduntur et exploduntur ipsæ etiam ſpeciatim prophetiæ de Chriſto eiusque Ec-

a) *I. Cor. I.* 19. 20.

clesia. Rogemus humili prece Deum, ardentibusque votis oremus, ut se nobis, ſicut duobus discipulis iungat Christus hodie in via tam periculosa; et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretetur in omnibus ſcripturis, ut cum illis dicere possimus: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis ſcripturas?* Utinam *ignitum eloquium tuum Domine vehementer* cum Psalmista experiamur! „Dicebant olim filii Israel ad Moysen a): *Loquere tu nobis, et audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Non ſic Domine, non ſic, ſed magis cum Samuele propheta humiliter et desideranter obsecro: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Non loquatur mihi Moyses, aut aliquis ex prophetis; ſed tu potius loquere Domine Deus inspirator et illuminator omnium prophetarum, quia tu ſolus ſine eis potes me perfecte imbuere, illi autem ſine te nihil proficient. Possunt quidem verba ſonare, ſed ſpiritum non conferunt. Pulchre dicunt, ſed te tacente cor non accendunt. Literas tradunt, ſed tu ſensum aperis. Mysteria proferunt, ſed tu reseras intellectum ſignatorum.“ Cuius non ſit cor ardens fidelium audire ex ipso ore Dominico, quomodo hæc oportuerit pati Christum, et ita intrare in gloriam ſuam, qui

a) *De Imitat. Christi L. III. c. 2.*

tantæ eſt benignitatis, ut gloriam noſtram, quam nobis acquiſivit ſanguine ſuo, ſuammet diceret, quæ ipſi eſt cum patre in unitate Spiritus ſancti coæterna.

CAPUT CLXXVII.

CHRISTUS PACEM DISCIPULIS DICIT.

Ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et ſtetit in medio eorum, et dixit eis: Pax vobis. *Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus et latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli, viſo domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis, ſicut miſit me pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit; et dixit eis: accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joann. XX. 19. etc.

Apud Lucam apparitio hæc Chriſti ipſa reſurrectionis die ſero facta memoratur, dum adhuc loquerentur diſcipuli illi ex Emaus redeuntes, narranteſque, quæ geſta erant in via. *Dum autem hæc loquuntur, ſtetit Jeſus in medio eorum, et dicit eis: Pax*

vobis: ego ſum; nolite timere a). Narrat porro conturbatis illis, et conterritis, existimantibusque ſe ſpiritum videre, palpandum ſe præbuisse, ostendisseque manus et pedes: *Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio*, petiisse, quod manducetur, et cum manducasset coram eis, reliquias eis dedisse: tum vero aperuisse eis ſensum, *ut intelligerent ſcripturas*, perinde ac discipulis in via: *Quoniam ſic ſcriptum est, et ſic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die: et prædicari in nomine eius pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma etc.* Idem est hoc, quod apud Joannem legitur: *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis, ſicut me misit Pater etc.* Unde collatis inter se, quæ de ſe hic dixit Christus post resurrectionem apparens, oportuisse Christum pati, quæque in ultimo ſermone de pace ſua eis danda dixerat, intelligi poterat, cur ſæpius eis dixerit: *Pax vobis*, alias quidem consueta Judæis ſalutandi formula, ſed ut iam ſupra explicavimus Cap. CXLV. inscripto: *Pax Christi inter mala in hoc mundo:* declaravimus, quomodo Christus dixerit: *Pacem relinquo vobis: Pacem meam do vobis*, id paucis indicat apud Lucam: *Pax vobis, nolite timere.* Nempe: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis; non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Sic S.

a) *Luc. XXIV.* 36.

CAPUT CLXXVII

Jo. Chrysostomus explicat *a*): „*Pax vobis*, hoc est, ne turbemini, in mentemque ipsis revocat id, quod ante crucem dixerat ipsis: *Pacem meam relinquo vobis*; ac rursum: *in me pacem habete: In mundo tribulationem habebitis. Gavisi ſunt autem diſcipuli viso Domino:* Viden' rebus verba cofirmari: nam quod dixerat ante crucem: iterum *videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*, hoc nunc opere complevit. Hæc porro omnia ipsos ad certissimam fidem induxerunt. Quia enim inexplicabile bellum contra Judæos habebant, ſæpe repetit illud: *Pax vobis*, parem bello consolationem afferens. Hoc primum ipsis verbum post resurrectionem dixit. Ideo Paulus ubique ait: *Gratia vobis et Pax.* Mulieribus autem lætitiam dicit, quia in mærore degebant; et hanc primum accepere lætitiam. Congruenter itaque viris propter bellum pacem, mulieribusque propter dolorem lætitiam annuntiat. Solutisque tristibus omnibus crucis præclara opera prædicat: hæc est Pax." Sed hic altius nobis adhuc efferenda est cogitatio, dum Christus dicendo: *Pax vobis*; ostendit eis manus, quibus cruci affixus est, et latus apertum, postquam mortuus in cruce consummasset opus redemtionis nostræ, quod annuntiantes mox nato Domino pastoribus canunt

a) *Hom. LXXXVI. in Jo. n.* 2. *et* 3. *T. VIII. p.* 516.

angeli: *Gloria in altiſſimis Deo, et in terra pax hominibus a)*; quam nimirum ſacerdos Zacharias in ſpiritu fruſtra tunc Judæis precatus fuerat in ſuo cantico *b)*: *Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Pax nimirum illa, quam Chriſtus a ſuis apoſtolis mittendis in univerſum mundum ad prædicandum Evangelium ante omnia denuntiari voluit c): *Intrantes autem in domum ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſiquidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam; si autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.* Eſt hæc pax illa, de qua D. Paulus ex prophetis Iſaia et Nahum, *ſicut ſcriptum eſt*, inquit *d)*, *quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Quam vero idem apoſtolus in ſingulis ſuis epiſtolis (perinde ac B. Petrus, Judas; et Joannes etiam in Apocalypſi) in ſalutatione præmittit his verbis *e)*: *Gratia vobis et pax a Deo Patre noſtro, et Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris.* Ad Ephes. II. 17. autem dicit: *Et veniens, evangelizavit pacem vobis, pacem his, qui longe fuiſtis, et pacem iis qui prope. Quoniam per ipſum habemus ambo acceſſum in uno Spiritu ad Patrem.* Eſt hoc, quod evangeliſta hic narrat de Chriſto:

Caput CLXXVII

a) Luc. II. 14. *b) Ib. I. 79.* *c) Matth. X. 12.* *d) Rom. X. 15.* *e) Gal. I. 14.*

Caput CLXXVII *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis: ſicut me miſit Pater, et ego mitto vos. Et cum hoc dixiſſet, inſufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta ſunt.* Est hæc, quam angeli paſtoribus pacem denuntiarunt in terra hominibus bonæ voluntatis, ſeu divini beneplaciti ἐν ανθρώποις ἐυδοκία vel ἐυδοκίας ut ſupra Cap. XII. p. 265. explicavimus, de electis nimirum, quos inter cum primi fuerint apoſtoli, non prius illis pacem denuntiavit Christus, quam ab eorum collegio abscessiſſet Judas, ante paſſionem, et post reſurrectionem.

CAPUT CLXXVIII.

THOMÆ INCREDULI INCREPATIO.

Post dies octo iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis. Venit Jeſus ianuis clauſis, et ſtetit in medio, et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum; et noli esse incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus, et Deus meus! Dixit ei Jesus: *Quia vidisti me Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt, et crediderunt.* Joann. XX. 26. etc.

Dixerat aliquando Christus ad Apoſtolos: *Veſtri autem beati oculi, quia vident, et aures veſtræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, et iusti cupierunt videre, quæ videtis, et non viderunt; et audire, quæ auditis, et non audierunt a).* Quod patribus illis contigit ante Christum, hoc etiam contingit omnibus illis nobis, quibus iam post tot ſæcula credenda proponuntur, quæ Apoſtoli ad firmandam fidem noſtram, a ſe viſa, ſcripta nobis reliquerunt. Id vero iam vel maxime cavendum est, ne nobis contingat, quod apud mox citatum Matthæum

a) *Matth. XIII. 16. 17.*

Caput CLXXVIII ſequitur in explicatione parabolæ ſeminantis *a*): *Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit, quod ſeminatum est in corde eius; hic est, qui ſecus viam ſeminatus est. Qui autem ſuper petroſa ſeminatus est, hic est qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud; non habet autem radicem, ſed est temporalis. Facta autem tribulatione, et perſecutione propter verbum continuo ſcandalizatur. Qui autem ſeminatus est in ſpinis, hic est, qui verbum audit, et ſollicitudo ſæculi istius, et fallacia divitiarum ſuffocat verbum, et ſine fructu efficitur. Qui vero in terram bonam ſeminatus est, hic est, qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert etc.* Omnibus temporibus, dum Christus, et apostoli vixerunt, et postquam illi devixerunt, ad nos usque ſemper fuerunt, eruntque usque ad conſummationem ſæculi homines omnis generis, quales in parabola notantur, apud quos fructificat verbum in eorum mentibus ſeminatum, vel non fructificat: uti tempore Christi fuerunt, audieruntque Christum, et viderunt eius miracula, nec crediderunt: *Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis b*). Adhuc terribilior est Christi, quæ præcedit, cur Judæis in parabolis loquatur, ſententia; quæve ex Isaiæ VI. 9. porro adduntur de excæcatione

a) *Matth. XIII.* 19. *etc.* *b*) *Ib.* 14.

populi Judaici, quam præſertim poſt reſurrectionem illius corrumpentes cuſtodes, de eadem teſtantes, oſtenderunt, et pænalem cæcitatem experti ſunt, Chriſto poſt reſurrectionem ſe eorum oculis ſubducente. „Nam, ut in apologetico loquitur Tertullianus, nec ille ſe in vulgus eduxit, ne impii errore liberarentur, ut et fides, non mediocri præmio deſtinata, difficultate conſtaret. Cum diſcipulis autem quibusdam apud Galilæam Judææ regionem ad quadraginta dies egit, docens, quæ docerent. De hinc ordinatis eis ad officium prædicandi per orbem, circumfuſa nube in cœlum eſt ereptus. Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, et ipſe iam pro ſua conſcientia chriſtianus, cæsari tunc Tiberio nuntiavit.“ At enim erat fides Romam, non per iniuſtum, ac perfidum iudicem Pilatum, ſed per apoſtolos ex reſurrectione Chriſti in fide firmatos, deferenda. Unde et Petrus fratres, cum apoſtolus Judæ loco eligendus eſſet, allocutus: *Oportet ergo*, inquit *a)*, *unum ex his viris*, *qui nobiscum ſunt congregati . . . teſtem reſurrectionis eius nobiscum fieri unum ex iſtis.* Erant tunc *ſimul fere centum viginti.* D. Paulus teſtatur, viſum eſſe Chriſtum *plus quam quingentis fratribus ſimul b).* Fuiſſe ſe unum ex iſtis S. Ignatius M. in Epiſt. ad Smyrnæos n. 2. teſtatus: „Ego enim, ait,

a) Act. I. 21. *b) I. Cor. XV. 6.*

Caput CLXXVIII et post resurrectionem eum in carne novi, et credo eſſe. Et quando ad eos, qui cum Petro erant, venit, inquit ipſis: *Apprehendite, palpate me, et videte, quod non ſum dæmonium incorporale.* Et confeſtim crediderunt convicti carne ipſius, et ſpiritu." Narratur hoc, quomodo acciderit, Lucæ ultimo, Marci autem ultimo notatur, exprobraſſe incredulitatem eorum, et duritiam cordis: *quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* Hoc ad noſtrum omnium doctrinam pertinet, qui Chriſti reſurrectionem apoſtolorum teſtimonio credimus, eorum ſanguine ſignato. Thomæ apoſtolo quidem permittitur digitum inferre, et videre manus, et mittere manum in latus, ſed dicitur: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*, exprobrando infidelitatem. „Nec illo autem, ſunt verba S. Jo. Chryſoſtomi *a)*, modo ſolum increpavit, verum etiam in ſequentibus. Poſtquam enim ille certior factus reſipuit, et exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus!* ait: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati, qui non viderunt, et crediderunt.* Hic vero non diſcipulos ſolum beatos prædicat; ſed etiam eos, qui poſtea credituri erant. Atqui, diſcipuli, inquies, viderunt, et crediderunt. Verum illi nihil huiusmodi quæſiverunt, ſed ex ſudariis ſtatim verbum reſurrectionis admiſerunt, et antequam vi-

a) Hom. LXXXVII. in Jo. T. VIII. p. 520.

derant, plenam habuere fidem. Cum ergo quiſpiam dixerit: vellem illo fuiſſe tempore, videreque Christum miracula patrantem, cogitet illud: *Beati, qui non viderunt, et crediderunt.*" Quod dicit S. Pater de discipulis ſudarium videntibus, et ſtatim credentibus, intelligendum est de Petro et Joanne, ut ipse hic evangelista de se testatur, vidisse se, et credidisse *a*). Passim vero SS. PP. permiſſam esse observant cæterorum apostolorum incredulitatem, ad nostram firmandam fidem. „Quam utique hæsitationem humanam, ſunt verba S. Leonis P. *b*), infirmitate nutantem nequaquam permisiſſet ſpiritus veritatis, prædicatorum ſuorum ineſſe pectoribus, nisi illa trepida ſollicitudo, et curiosa cunctatio nostræ fidei fundamentum iecisset: nostris igitur perturbationibus, nostris periculis in apostolis conſulebatur: nos in illis viris contra calumnias impiorum, et contra terrenæ argumenta ſapientiæ docebamur. Nos illorum instruxit aspectus, nos erudivit auditus, nos confirmavit attactus. Gratias agamus divinæ dispenſationi, et ſanctorum neceſſariæ tarditati. Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur a nobis."

a) *Jo. XX. 8.* *b*) *Serm. LXXII. de aſcenſ. Dom. I. p. 76.*

Caput CLXXIX.

CAPUT CLXXIX.

MIRACULOSA PISCATIO POST RESURRECTIONEM.

Mane facto ſtetit Jesus in littore: Non tamen cognoverunt discipuli, quia Jesus est. Dixit ergo eis Jesus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. *Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo, et iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Joann. XXI. 4. etc.

Figura consummationis ſæculi.

Jam distinximus ex S. Augustino duas piscationes, iubente Domino factas, ſupra ſuo loco, ubi de prima egimus, quæ facta est, cum primum Christus discipulos eligeret piscatores, ut eos faceret piscatores hominum, ſeu apostolos. Alteram nobis hic S. Joannes describit, non minus mysterii plenam, ac miraculosam; dum iubentur discipuli mittere in dexteram navigii rete, et iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium, quam iterum S. Augustini verbis edisseremus, quomodo hæc Ecclesiam electorum in cœlis, ſicut illa constantem ex bonis et malis in terra, designet. „Facta est enim, inquit *a)*, post resurrectionem Domini, ut ſignificaret, talem futu-

a) Serm. CCLI. n. 2. T. V. p. 1034.

ram Ecclesiam post nostram resurrectionem. *Mittite*, inquit, *rete in dexteram partem.* Discretus est ergo numerus eorum, qui ad dexteram ſtabunt. Meministis enim, dominum dixisse, venturum se esse cum angelis ſuis, et quod congregabuntur ante eum omnes gentes, et dividet eas, ſicut pastor dividit oves ab hædis; oves ponet ad dexteram, hædos ad ſinistram. Ovibus dicturus est: *Venite percipite regnum.* Hædis dicturus est: *Ite in ignem æternum. Mittite in dexteram.* Tanquam diceret; iam resurrexi, Ecclesiam volo ſignificare, quæ erit in resurrectione mortuorum. *Mittite in dexteram.* Missa ſunt retia in dexteram, nec poterant ea levare præ multitudine piscium . . . . . Quid ergo? *Adduxerunt*, inquit, *ad litus.* Petrus attraxit retia. Modo cum Evangelium legeretur, audistis. Ubi audis litus; intellige finem maris; ubi audis finem maris; intellige finem ſæculi . . . . . Et adiecit evangelista rem necessariam: *Et cum tanti*, id est, cum tam magni essent, *non est ſcissum rete.* Magni erunt, quia hæreses non erunt, et ideo magis hæreses non erunt, quia magni erunt." Idem S. Augustinus in eandem evangelicam lectionem illud etiam discrimen inter utramque piscationem de iis, qui modo promiscue ſunt in Ecclesia boni, et mali, explicat, quatenus in hac ſecunda, non vero in prima pisca-

Caput CLXXIX. tione determinatus ſit numerus piscium. „Ibi numerus, ait *a*), non est dictus in prima piscatione, ſola multitudo dicta est, numerus non est definitus. Multi ſunt enim ſuper numerum modo, id est, veniunt, intrant, implent Ecclesias. Ipsi implent theatra, qui Ecclesiam. Super numerum implent; ad numerum illum, qui futurus est in vita æterna, non pertinent, nisi mutentur, dum vivunt. Et nunquid omnes mutantur? Quomodo nec illi boni omnes perseverant. Ideo illis dictum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic ſalvus erit.* Et illis, qui adhuc mali ſunt, dicitur: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, et vivat.* Ergo ibi numerus non est dictus, quia multi ſuper numerum facti ſunt. Dixit Psalmus: *Annuntiavi et locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.* Modo in dexteram, non ſunt ſuper numerum; centum quinquaginta tres ſunt, ſed magni. Hoc enim dictum est: *Et cum tam magni essent, non est ſcissum rete.* Tunc enim congregatio ſanctorum erit, divisiones, et ſcissuræ hæreticorum non erunt; pax erit, et perfecta unitas erit, integer numerus erit." Et ſerm. CCXLVIII. pag. 1027.: „Certus est numerus, nemo est ibi ſuper numerum. Modo autem quanti ſuper numerum accedunt ad altare, in populo Dei videntur,

a) *Serm. CCL. p.* 1032.

et in libro vitæ non ſcribuntur. Ibi ergo certus numerus est. De quibus piscibus, et vos esse affectate; non audiendo tantum, et laudando, ſed intelligendo, et bene vivendo. Mittuntur ergo retia, capiuntur pisces magni. Quis est enim tunc parvus, quando erunt æquales angelis Dei? Capiuntur ergo pisces magni, centum quinquaginta et tres. Dicet mihi aliquis; et tot erunt ſancti? Absit a nobis, ut tantam paucitatem esse ſanctorum, et in illo regno futurorum etiam de ſola ista Ecclesia ſuſpicemur. Certus numerus erit: Sed millia millium erunt de populo Israelitico. S. Joannes in Apocalypsi de ſolo populo Israel duodecies duodena millia dicit futuros, qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt. At vero de cæteris gentibus venire dicit cum ſtolis albis tanta millia hominum, quæ numerare nemo potest. Aliquod ergo ſignum vult iste numerus etc. "

Caput CLXXIX.

Caput CLXXX.

CAPUT CLXXX.

PETRO OVES SUAS PASCENDAS, ID EST, ECCLESIAM ABITURUS IN CŒLUM COMMITTIT.

Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his? Dixit ei: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me; ait illi; etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio amas me? Et dixit ei: Domine tu omnia nosti, tu ſcis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. Amen, amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas, ubi volebas; cum autem ſenueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet, quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans, qua morte clarificaturus esset Deum. Jo. XXI. 15. etc.

Ob eius præcipuam charitatem.

S. Joannes evangelista præsens inter alios rei gestæ cum fratre Jacobo, quorum mater pro filiis primum in regno Christi petebat locum; nunc morte Christi ſanatus præsumtione, ſine omni typho narrat, quo-

modo Christus piſcationem modo relatam, propediem abiturus ex hoc mundo ad Patrem in cœlum, agnos ſuos ac oves paſcendas committeret Petro. *Simon Joannis diligis me plus his?* Petrum Christus interrogat. Quis non videat, ideo Petrum interrogari ſingulariter, ut ei aliquid in paſcendis ovibus committatur ſingulariter? Petrum interrogari, an diligat plus his, ut curam ovium ſuſcipiat præ his, dignus præ cæteris, qui ſibi paſtor in grege ſuccedat? Sicuti peculiariter eidem ante reſurrectionem claves regni cœlorum dandæ promittuntur. „Tu es, S. Bernardus Eugenium ſucceſſorem Petri alloquitur *a*), cui claves traditæ, cui oves commiſſæ ſunt? Sunt quidem et alii cœli ianitores, ſed tu tanto glorioſius, quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi uni univerſi crediti ſunt, uni omnes. Nec modo ovium, ſed et paſtorum tu unus omnium paſtor. Unde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dicam epiſcoporum, ſed et apoſtolorum ſic abſolute, et indiſcrete totæ commiſſæ ſunt oves? *Si me amas, Petre! paſce oves meas.* "

CAPUT CLXXX.

Ceſſare ſic inter ſummos Eccleſiæ paſtores, pontificem ſucceſſorem Petri, et

a) *Lib. II. de conſiderat.*

Caput CLXXX. episcopos ſuccessores apostolorum debuerat contentio illa, non ſemel etiam inter apostolos mota, *quis eorum videretur esse maior.*

Non videtur vacare mysterio, quod præ cæteris apostolis illi duo, quos Christus cæteris prætulisse visus est cum Petro (quos cum eo assumserat in montem, ubi transfiguratus est, et in hortum ante passionem) Jacobus nimirum et Joannes præsentes adfuerint, quando Christus interrogando Petrum: *Diligis me plus his;* atque adeo plus dilecto Christi discipulo Joanne et Jacobo fratre eius, eidem oves et agnos distinctim ad pascendum commisit βόσκε τὰ ἀρνία μȣ, et ποίμαινε τὰ πρόβατά μȣ. Unde ex toto ſermonis verborumque contextu interpretes in eam necesse fuit concordare ſententiam, ut inter oves et agnos illud discrimen facerent, quod est inter oves Christi fideles et ovium pastores. Erant præsentes in hac piscatione ſecunda Thomas, et Nathanael, qui creditur esse Bartholomæus apostolus præter Jacobum et Joannem, qui aliquando affectantes primas in regno Christi ſedes occupare, tunc coërciti, hic autem in ordinem ſunt redacti. Poterant hi animo ſecum reputare: ecce Petro (qui non ita multis ante diebus magistrum ſuum præsente quidem Joanne in

atrio pontificis, ter negavit) hic iam teſtimonio amoris præcipui, *diliges me plus his*, oves et agni etiam paſcendi committuntur. Id quod ſuccesſu temporis maxime autem noſtris his temporibus accidere videmus, ut quidquid aliquando a ſucceſſoribus Petri peccatum eſſe videbatur, ab eorum æmulis in apricum deductum, ſugilletur, exacerbatum, atque exulceratum cum ſcandalo Eccleſiæ hoſtium, et puſillorum. Utinam hi ducti exemplo S. Joannis reſipiſcant, qui nobis in ſuo Evangelio hanc Petro poſt reſurrectionem datam prærogativam ſolus ex evangeliſtis narrat, cuius aliquando fratriſque Jacobi ambitioni indignati cæteri apoſtoli, et ipſi tamen mox inter ſe contendere cœperunt, *quis eorum videretur eſſe maior.* Quæ deinceps inter ſummos Eccleſiæ paſtores ſucceſſores apoſtolorum reſtaurata contentio ſemper Eccleſiæ funeſta fuit, florentiſſimamque Orientalem Eccleſiam peſſumdedit, Occidentalem vero ſecum præſertim a tempore magni ſchismatis ſæc. XV. commiſit, collegium ſcilicet ſummorum paſtorum, quod ſuccedit collegio apoſtolorum in communione poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos Eccleſiæ paſtores, pontificem et epiſcopos, facta inter eos contentione, quis eorum videretur eſſe maior, tunc quando maxime inter eos, in concilio œcumenico congregatos, neceſſaria unio eſſe debet ad conſulendum concordibus conſiliis Eccleſiæ.

CAPUT CLXXX.

Non audet Petrus dum interrogaretur: *Diligis me plus his*; plus cæteris ſibi in amando tribuere, ut aliquando, nimium de se præsumens, ſese cæteris discipulis in ſtudio et amore erga magistrum præferebat dicens: *Etsi omnes fuerint ſcandalizati in te, ſed non ego.* Imo tertio interrogatus de amore ad compensationem trinæ negationis contristatus est Petrus, ne forte Christus hac iteratione defectum dilectionis vellet notare. Sed Christus in eis, quæ ſubdit, declarat, qualem iam amorem per gratiam pectori eius inseruerat, atque exemplo ſuo, moriendo in cruce præmonstraverat, quo maiorem nempe nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro eo, quem amat, illud hic confirmans ſolita ſua iurandi formula: *Amen*, *Amen*, inquit, *dico tibi etc.*, *ſignificans qua morte clarificaturus esset Deum.* „Hunc, ſunt verba S. Augustini *a*), invenit exitum ille negator, et amator; præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus; hunc invenit exitum, ut pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum perversa festinatione promiserat. Faciat eius resurrectione firmatus, quod immature pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat, ut prius Christus pro Petri ſalute, deinde Petrus pro

a) *Tr. CXXIII. in Jo. n. 4. T. III. P. II. p.* 816.

Christi prædicatione moreretur. Præpoſterum fuit, quod audere cœperat humana temeritas, cum istum diſpoſuiſſet ordinem veritas etc. "

Acta apoſtolorum nos docent, quomodo Chriſtus ſaluti Petri, cui Eccleſiam ſuam commiſerat, conſuluerit; Petrus vero ab aſcenſione Chriſti in cœlum munere ſuo perfunctus fuerit. Apprehendit quidem Herodes, poſtquam occiderat Jacobum fratrem Joannis gladio, et Petrum volens poſt paſcha producere populo, *oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo a)* Hieroſolymis nimirum, ubi tunc recens inſtaurabatur primitiva Eccleſia, cum poſt aſcenſionem introiſſet in cœnaculum cum cæteris apoſtolis Petrus, qui hic ut ubique primus nominatur *b)*, moxque *in diebus illis exſurgens c)* electionem Matthiæ apoſtoli inſtaurat, atque accepto die Pentecoſtes Spiritu Sancto prorumpentibus e cœnaculo diſcipulis Petrus perorat, ac inſtruit ſtupefactum populum *d)*: iterumque dum cum Joanne ingreſſus templum claudum ſanaſſet *e)*: cumque ſynedrio apoſtoli ſiſterentur, *repletus Spiritu ſancto f)* Petrus eos alloquitur. Idem porro Ananiam eiusque uxorem defraudantes pre-

a) *Act. XII.* b) *Ib. I.* 13. c) *Ib.* 15. d) *Ib. II.* 14. e) *Ib. III.* 12. f) *Ib. IV.* 8.

Caput CLXXX.

tium agri, etiam neci dat *a*). Cumque ex templo extracti docentes e custodia autem ab angelo educti iterum ſiſterentur ſynedrio apoſtoli, primus omnium Petrus palam eis edicit, oportere Deo magis obedire quam hominibus etc. *b*) Petrus item in viſione certior factus admonitusque de gentibus ad evangelium admittendis, quæ tunc res maximi omnino momenti erat, ad eorum primitias Cornelium divinitus iuſſus accurrit *c*), remque poſtea diſcipulis declarat, ac primum ipſe concilium Hieroſolymitanum *d*) eadem de re auſpicatus ſententiam pronunciat, atque ubique in aliis quibusvis occaſionibus ſuum primatum in hac naſcente tunc exercet Eccleſia Hieroſolymis; quæ tamen erat a Romanis cum ſacris Judaicis deſtruenda atque Romæ Petri ſedes ſanguine conſecranda ad conſtituendam inter gentes Eccleſiam: dum ex arce Romani imperii facile per orbem nullis imperii Rom. conſtrictum finibus, propagaretur fides miſſis a Chriſto in univerſum mundum apoſtolis ad prædicandum Evangelium conſtituendumque ovile Chriſti, quod Petro a Chriſto concreditum intelleximus.

a) *Act. V.* 1. *b*) *Ib.* 29. *c*) *Ib. X.* *d*) *Ib. XI.*

CAPUT CLXXXI.

APOSTOLI AD PRÆDICANDUM EVANGELIUM MISSI.

CAPUT CLXXXI.

Accedens Jesus locutus est eis dicens: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti: Docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus, usque ad conſummationem ſæculi.* Matth. XXVIII. 18. etc.

Hierarchia in Ecclesia regno Christi constituta.

Intelleximus modo, quomodo Christus oves ſuas pascendas Petro commiſerit peculiariter; hic habemus miſſionem generalem apoſtolorum, grande illud opus ad conſtituendam Eccleſiam per universum orbem, qui totus, a cultu veri Dei averſus, in maligno poſitus erat, per paucos imperitos viros, plerosque rudes piscatores convertendus, et totus quantus fuit, commutandus in alium hominem: non tantum imbuendus ſalutari Evangelii doctrina, ſed etiam reformandus moribus et vita, docendusque ſervare omnia evangelica præcepta ea auctoritate, ut qui Eccleſiam in apoſtolis eorumque ſucceſſoribus non audierit, habendus ſit ſicut ethnicus et Publicanus *a)*;

a) Matth. XVIII. 17.

CAPUT CLXXXI.

ea poteſtate facultateque ligandi et ſolvendi, ut quæcunque illi alligaverint ſuper terram, ſint ligata in cœlis, et quæcunque ſolverint ſuper terram, ſint ſoluta et in cœlis. Quæ poteſtas cum poſt reſurrectionem Chriſti ſit iterum data, palam fit ex verbis, quæ præmiſit, eandem ſe Eccleſiæ ſuæ in apoſtolis, cum quibus ſe usque ad conſummationem ſæculi futurum promiſit, reliquiſſe, quam ipſe homo factus acceperat: *Sicut me miſit Pater, et ego mitto vos a).* Et: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, et in terra.* Cui loco S. Hilarius illum D. Pauli, huic lucem fœnerantem, iungens: *Propter quod exaltavit eum Deus, et donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris.* „Et hæc, ſubdit S. Pater b), non de divinitatis ſuæ dicta ſunt poteſtate. Illa enim ut ſemper eſt dominans, ita et dominabitur ſemper: ſed in æternam gloriam eius aſſumptæ ex virginis carnis natura transfertur.“ Hanc igitur poteſtatem, rediturus in cœlum ad Patrem, ſuis reliquit, quos in terris vicarios conſtituit pro Eccleſia, quam acquiſivit ſanguine ſuo, regenda, in qua usque ad conſummationem ſæculi omne genu terreſtrium, perinde ac cœleſtium et infernorum flectatur in eius

a) *Jo. XX. 21.* b) *In Pſal. LXV. n. 12. p. 177.*

nomine, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris, post incarnationem nempe et ascenſionem ſuam etiam in humana natura cum divina hypostatice in una persona unita. Et ſic S. Thomas in h. l. *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*, ad S. Hilarium provocat, de Christi divinitate eum interpretando, ut tamen etiam de humanitate accipiat. „Constat autem, ait, quod Christus, qui ab æterno habebat regnum mundi, ut Dei Filius executionem accepit ex resurrectione, quasi dicat: iam ſum in possessione. De ista habetur Dan. VII. 26. *Judicium ſedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem. Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum Altissimi, cuius regnum, regnum ſempiternum est, et omnes reges ſervient ei, et obedient.*"

S. Hilarius memoratum Psalmum LXV. *Jubilate Deo omnis terra*, de vocatione gentium, ſeu Ecclesia Christi, reiecta ſynagoga, interpretatus, duplex distinguit regnum, huius ſæculi, et æterni: „Unigenitus enim, inquit *a*), Dei Filius etsi regnavit ſemper, non tamen ſemper regnavit corpore. Ergo ubi designati, et tanquam demonstrati ſæculi dominatio, per id, quod τȣ̃ αἰῶνος dici-

a) *Ibid. n.* 13. *p.* 178.

Caput CLXXXI. tur, virtute verbi ipsius continetur, tempus illud oſtenditur, quo glorificato in gloriam Dei corpori et nomen Dei donatur et regnum. Et huius quidem dominandi ſæculi tempus abſolute apoſtolus docet, dicens a): *Cum evacuaverit omnem principatum, et poteſtatem, et virtutem . . . noviſſima inimica devincetur mors;* tunc ſolus in virtute ſua ſæculo dominabitur. Nunc enim quamvis regnet tamen princeps huius ſæculi petiit, ut modo tritici apoſtolos cerneret; et ſunt ſpiritales nequitiæ in cælestibus, adverſum quas ſpiritalibus nos armis Paulus inſtruxit." Sic in Ps. CXXIV. *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion*, idem S. Doctor montem Eccleſiam interpretatus; Chriſtumque lapidem, qui iuxta Dan. II. 35. contrito ſtatu monarchiarum orbis excrevit in montem magnum. „Sciens ergo, ſubdit b), Dominus, non adverſus carnem et ſanguinem nobis pugnam eſſe, ſed adverſus mundi huius potentes, et nequitias ſpiritales, ait Evangelia conſummans: *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus, usque in conſummationem ſæculi.* Adeſt enim: et cum fideliter invocatur, per naturam ſuam præſens eſt. Spiritus namque eſt omnia penetrans et continens. Non enim ſecundum nos corporalis eſt, ut cum alicubi adſit, abſit aliunde; ſed virtute præſenti, et in ſe, quacunque eſt aliquid, porrigente,

a) *I. Cor. XV.* 24. b) *In Psal. CXXIV. n.* 6. *p.* 405.

Caput CLXXXI.

cum replente omnia eius ſpiritu in omnibus ſit, tamen ei, qui in eum credat, adsistit. Nam et tribus vel duobus in nomine ſuo congregatis, erit præsens, et in circuitu populi ſui est ex hoc nunc et usque in æternum." Quod initio dixerat S. Doctor: *Evangelia consummans* ad locum hunc: *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus*, *usque ad consummationem ſæculi*, ultima hæc esse innuit, quibus Evangelium S. Matthæi clauditur; Christi ad apostolos verba, quibus veluti testamenti loco, ut in ultima cœna novum testamentum in ſuo ſanguine constituit, et corpore pro nobis immolato, quod in Eucharistia reliquit, ita hic ſui præsentiam in perpetua assistentia usque ad consummationem ſæculi ſuis promisit; quos, postquam ipse iam agnus mansuetus, qui ducitur ad victimam, oblatus erat, etiam ſicut oves in medio luporum misit, ne diffiderent, præmittit hic: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra: Euntes ergo docete omnes gentes.* Hi ergo, quos ad docendum omnes gentes misit Christus, cum illi non possent ſemper vivere, cum illis, quos in ſuum locum ad gubernandam Ecclesiam ſuffecerint usque ad consummationem ſæculi se futurum promisit. „Qui, ſunt verba S. Hieronymi in h. l. *a*), usque ad consummationem ſæculi cum discipulis se futurum esse promittit, et

a) *Lib. IV. in Matth. T. IV. p.* 144.

CAPUT CLXXXI.

illos oſtendit ſemper esse victuros, et se nunquam a credentibus recessurum. Qui autem usque ad consummationem mundi ſui præſentiam pollicetur, non ignorat illam diem, in qua se ſcit futurum cum apostolis. *Quare ergo fremuerunt gentes, et populi meditati ſunt inania a)?* "

Nunquam magis, quam in origine ſua coniuratum fuit a ſynagoga et cæteris per orbem gentibus ſub ethnicis imperatoribus, conclamatumque a toto mundo in Eccleſiam foris et intus, etiam per hæreses et ſchismata; quæ, pace licet Eccleſiæ reddita, non cessant affligere Eccleſiam mala: *Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat ſuper petram a).* Nunquam interrupta ſerie persistit, nec deficere potest promittente Domino, se affuturum usque ad consummationem ſæculi, ſuccessio Apostolorum in iis, quos illi ſibi ſuccessores constituerunt. Dumque cum florentissima olim Orientali eccleſia corruerunt aliæ Eccleſiæ apostolicæ, atque ab Eccleſia catholica ſese ſciderunt; ſunt tamen innumeræ aliæ in communione ſedis Petri, quæ firma consiſtit in ſuccessoribus ſuis, cui Christus ſingulariter promiſit: *Tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccle-*

a) *Matth. VII.* 25.

ſiam meam. „Manet ergo, ut ex ſucceſſoribus his loquitur S. Leo M. in anniverſario die aſſumtionis ſuæ ad pontificatum *a)*, diſpoſitio veritatis, et B. Petrus in accepta fortitudine petræ perſeverans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cœlorum ianitor conſtituitur, dum ligandorum, ſolvendorumque arbiter, manſura etiam in cœlis iudiciorum ſuorum definitione præficitur; qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum myſteria noſceremus." Nihil hic S. pontifex velut in propria cauſa dicit, quod non S. ſcripturæ veritate nitatur; teſtimonio autem omnium temporum ſemper comprobata eſt inconcuſſa in communione Eccleſiæ catholicæ firmitas huius petræ, incaſſum cedentibus omnibus, quæcunque unquam obmota ſunt ſeu de ſede ipſa, ſeu fide ſedentium in ea, contra quam portæ inferi prævalere non poſſunt. „Tanta enim, inquit idem pontifex maximus, divinitus ſoliditate munita eſt, ut eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia." Nulla in ſucceſſione apoſtolica Romanæ ſedis habetur interruptio, nulla ſucceſſorum corruptio, quin ſi forte cum Petro videren-

a) Serm. II. c. 3. p. 2.

Caput CLXXXI. tur cœpiſſe mergi, ſtatim iterum manu erigerentur illius, qui pro Petro rogavit, ut non deficiat fides eius; ſed ipſe aliquando confirmet fratres ſuos. Extat epiſtola S. Columbani ad Bonifacium IV. P. in cauſa celebri trium capitulorum, cui aliquamdiu œconomia quadam Vigilium P. faviſſe conſtat; eius vero conſtitutionem poſtea factam contra tria illa capitula noſtro demum ævo in lucem protraxit Lambecius, latentem forte ideo, quod ipſe S. Gregorius M. aliique pontifices proximorum temporum œconomia quadam utendum cenſerent, quæ cum S. Columbano ſiniſtra quidem in cauſa ipſa opinione abducto aliiſque diſpliceret, de ipſa tamen ſedis apoſtolicæ firmitate perſuaſus pontificem rogat: „Ut, ait *a*), cito tollatis hunc nævum de ſanctæ cathedræ claritate; non enim decet Romanæ eccleſiæ gravitatem hæc inſtantis levitatis fama, ut qualibet vi poſſit moveri a ſoliditate veræ fidei, pro qua tot martyres ſui ſuum ſanguinem fuderunt, malentes mori, quam convelli. Numquid enim, si in noſtris temporibus perſecutio venerit ultima ſquamæ illius inviſæ, cuius corium vix univerſæ naves poterunt portare, non uſque ad ſanguinem reſiſtemus adverſus peccatum repugnando, ſicut Patres noſtri fecerunt, apoſtolos dico, et tot martyres?

a) *Bibl. PP. T. XII. p.* 355.

Caput CLXXXI.

Si gravis fuit persecutio in initio fidei, quanto magis in fine, de quo Dominus dicit: *Putasne, veniens Filius hominis inveniat fidem in terra?* Et iterum: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret omnis caro ſalva.* Dicit tamen, electos ibi futuros; de quibus nimirum prædixit discipulis ſuis: *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus usque ad consummationem ſæculi.*" Quod in causa trium capitulorum humani quid passus est vir ſanctissimus, absterrere merito debet quosvis, quam bono etiam abrepti zelo ſibi videantur, in cathedram Petri aliquid ſibi præsumendo. Enimvero de periculis illis novissimorum temporum, etsi nobis incerta ſint, ac vel ideo, ut ſupra vidimus, ſemper inde ab apostolicis temporibus timenda ſunt visa; certissimum nobis in hac ipsa Christi promissione ſolatium esse potest, ac debet tunc ſecurum, cum inconcussi adglutinati, adhæremus iis, quibus illa promissio facta est, in communione centri unitatis ecclesiasticæ ſedis apostolicæ, ac data potestas, hierarchia Ecclesiæ constituta.

Caput CLXXXII

CAPUT CLXXXII.

ASCENSIO CHRISTI IN CŒLUM.

Eduxit eos foras in Bethaniam; et elevatis manibus ſuis benedixit eis. *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes regressi ſunt in Jerusalem cum gaudio magno; et erant ſemper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.* Luc. XXIV. 50. etc.

In ſuorum ſolatium.

„Stat in hodiernum usque diem, testatur S. Cyrillus Hierosolym. testis oculatus *a)*, mons olivarum, eum, qui ſuper nubem conscendit, in hodiernum usque diem fidelium oculis tantum non demonstrans, ac cœlestem ascensionis ianuam. In Bethlehem de cœlis descendit, ex monte olivarum in cœlos ascendit. Inde ad homines certamina incepturus; isthic vero ob certamina coronatur. Multos igitur testes habes; habes hunc ipsum resurrectionis locum; habes locum ascensionis nobis ad orientem ſitum. Testes habes eos, qui ibi testati ſunt, angelos, et nubem quam ascendit, et discipulos, qui inde descenderunt.“ Bethania, quo deduxisse discipulos memoratur, ad latus est montis Oliva-

a) *Catech. XIV. n. 23. p. 217.*

rum, in quo Chriſtus tum ſæpe alias, cum proxime ante paſſionem ardentiſſimas preces et lacrymas ad Patrem fuderat, agoniam etiam perpeſſus, quæ ex eius corpore ſanguineum excivit ſudorem, inde Judæ proditori Judæisque lictoribus obvius occurrens. In Bethania vero Lazarum ad vitam revocavit, proximisque ante paſſionem diebus pernoctavit; ut inde ad Patrem in cœlum redire voluerit, unde perrexit ad paſſionem. Refertur in nota ad allatum S. Cyrilli locum teſtibus S. Paulino Nolano et Sulpitio Severo *a*), in Eccleſia, in hoc monte aſcenſionis ædificata, veſtigia Chriſti pedibus humi infixa pavimento conſterni non potuiſſe, loco in ſui ceſpitis ſpecie viridi permanente. Et S. Auguſtinus, „ibi, ait *b*), ſunt veſtigia eius, modo adorantur, ubi noviſſime ſtetit, unde aſcendit in cœlum; ad gentes autem miſit.“

Obſervatum ab interpretibus eſt, primum in aſcenſione Chriſtum a ſuis diſcipulis adoratum legi, ob familiarem nimirum antea cum illis, ceu humanam converſationem, etiam quadraginta illis poſt reſurrectionem diebus, quibus nempe ut idem Lucas meminit, *et præbuit ſe ipſum vivens poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies*

a) *Epiſt. XXXI. n.* 4. *Sac. Hiſt. L. II. c.* 48.
b) *Tr. XLVII. in Jo. n.* 4. *T. III. P. II. p.* 609.

CAPUT. CLXXXII *quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei a).* Hinc plus profuiſſe eis, vel ideo etiam notat S. Auguſtinus *b)*, ut ſe ab oculis eorum ſubtraheret; ut qui in terra tanquam frater converſatus fuerat, de cœlo tanquam Dominus ſubveniret, diſcerentque illum cogitare tanquam Deum. Affert ad rem illuſtrandam locum Joannis XIV. 28.: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* „Vox iſta, poſt alia ait, fratres, quantum Dominus adſpirat advertere, quodammodo exprobrantis fuit, et conſolantis. Fixi enim erant in homine, et Deum cogitare non poterant. Tunc enim cogitarent Deum, ſi ab illis et ab eorum oculis homo auferretur, ut amputata familiaritate, quæ cum carne erat facta, diſcerent vel abſente carne divinitatem cogitare. Ergo hoc eis ait: *Si me diligeretis, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Quare? Ut cum eo ad Patrem, poſſitis me cogitare æqualem Patri. Propterea enim *maior me eſt:* Adhuc dum videtis me in carne, adhuc maior me eſt Pater. Videte, ſi ſuſcepiſtis: non enim noverant, niſi hominem cogitare. Hoc dico aliquanto planius propter fratres noſtros tardiores: qui autem intellexerunt, ferant tarditatem cæterorum, et imitentur ipſum Do-

a) Act. I. 3. *b) Serm. CCLXIV. de Aſcens. Dom. IV. n.* 2. *T. V. p.* 1074.

minum, *qui cum in forma Dei eſſet, humiliavit ſe factus obediens usque ad mortem.*" Jam quæ ſequuntur: *propter quod et Deus exaltavit illum*, ad Christi glorificationem pertinent post ascenſionem in cœlos, de qua Jo. VII. 39. *Nondum erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Et Christus: *Expedit vobis, ut ego vadam, ſi enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero mittam eum vobis.* Est hæc Christi glorificatio ſimul etiam eius clarificatio, pro qua ante paſſionem ſuam rogavit Patrem: *Nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus eſſet apud te a).* *Apud te*, inquit; iuxta Pſal. CIX. 1. *Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis.* Juxta Marci XVI. 19. *Et Dominus quidem Jeſus postquam locutus est eis, aſſumtus est in cælum, et ſedet a dextris Dei.*

Caput CLXXXII

Est hæc magnitudo ac ſublimitas myſterii huius, quam, ut agnoſcerent, apostolus non ceſſavit orare pro Epheſiis *b*): *Ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis. Et quæ ſit ſuperemineus magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus ſecundum operationem potentiæ virtutis eius. Quam operatus est in Christo, ſuscitans illum a mortuis, et constituens ad dextram ſuam in cælestibus: ſupra omnem principatum, et potestatem, et virtu-*

a) *Jo. XVII.* 5. *b*) *Ephes. I.* 18.

Caput CLXXXII

tem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, et ipsum dedit caput ſupra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Habemus hic plenam, quantum mens nostra adhuc ſenſibus affixa, crassoque corpori inhærens capere potest, notionem operationis potentiæ virtutis Dei, quam operatus est in Christo, constituens eum ad dexteram ſuam in cœlestibus. Habemus item causam profectus et argumentum magni gaudii apostolorum, quorum cum prius cor tristitia impleverat, dum de abitu ſuo mentionem Christus iniecerat, dumque vel memoriam futuræ absentiæ ferre non posſent, iam vero quando *factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cælum* additur: *Et ipsi adorantes, regressi ſunt in Jerusalem cum gaudio magno.* „Ut, verbis utor S. Leonis M. *a*), quidquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium. Totam enim contemplationem animi in divinitatem ad Patris dextram consedentis erexerat; nec iam corporeæ visionis tardabantur obiectu, quo minus in id aciem mentis intenderent, quod nec a Patre descendendo abſuerat, nec a discipulis ascendendo decesserat. Tunc igitur dilectissimi, Filius hominis Dei Filius excellentibus

a) *Serm. LXXII. de Ascens. D. II. c. 3. et 4. p. 77.*

ſacratiusque innotuit, et cum in paternæ maieſtatis gloriam ſe recepit, et ineffabili modo cœpit esse divinitate præſentior, qui factus eſt humanitate longinquior." Nos iſta attinent, qui apoſtolis hæc videntibus et atteſtantibus incunctanter credidimus; dum, ut idem iam antea dixerat in eodem ſermone, „viſioni doctrina ſucceſſit, cuius auctoritatem ſupernis illuminata radiis credentium corda ſequerentur. Hanc fidem aſcenſione Domini auctam, et Spiritus ſancti munere roboratam, non vincula; non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, non exquiſita perſequentium crudelitatibus ſupplicia terruerunt. Pro hac fide per univerſum mundum, non ſolum viri, ſed etiam feminæ, nec tantum impubes pueri, ſed etiam teneræ virgines usque ad effuſionem ſanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia eiecit, ægritudines depulit, mortuos ſuſcitavit etc."

Poſteaquam elevatis manibus benedixit Jeſus diſcipulis, benedicendoque recedit; abſentiam ipſius non ſentiunt illi, memores ultimorum ad eos verborum Matthæi ultimo capite et verſu: *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus, usque ad conſummationem ſæculi*, incipiuntque iam, regreſſi in Jeruſalem, formare cœtum illum, Eccleſiam Chriſti *in templo, laudantes et benedicentes Deum*. Ad quem cœtum, Eccleſiam nempe pertinet ea promiſſio, quæ et nos attinet, usque ad conſummationem ſæculi perdurans; ſi ut apoſtoli *erant ſemper in templo, laudantes et benedicentes Deum* (Lucæ capite ac ver-

CAPUT CLXXXII su ultimo) et nos perseveremus cum illis in ſancta civitate Jerusalem nova, loco veteris illius terrestris civitatis et templi, unde ipsi *profecti* (Marci pariter cap. ac versu ultimo) *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Igitur dum nova hæc Jerusalem, Ecclesia Christi (quæ ab Jerusalem progressa in communione catholica perseverat, et cum ea Christus *omnibus diebus, usque ad consummationem ſæculi*) cœpit, ubi vetus desiit, in illa fideles in Domino maneamus: *Non enim accessistis ad tractabilem montem*, ut Paulus monet a), *ſed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti ſunt in cælis, et iudicem omnium Deum et ſpiritus iustorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Jesum, et ſanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel. Videte, ne recusetis loquentem.* Hoc facientes, cum gaudio, ut apostoli, exspectabimus diem illum, quem angeli illis [*quoniam appropinquat redemtio vestra* b)] denuntiarunt: *Viri Galilæi, quid ſtatis aspicientes in cælum? Hic Jesus, qui assumtus est a vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* c).

a) *Hebr. XII.* 18. 22. *etc.* b) *Luc. XXI.* 28.
c) *Act. I.* 11.

ELENCHUS CAPITUM.

TOMUS I.

	Pag.
Evangelium virtus Dei non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis	1.
Verbum Dei incarnatum	6.
S. Joannes præcurſor Domini	12.
Annunciatio Christi	15.
Christus natus	18.
A Magis adoratus	22.
Christi infantia, ætatisque profectus . .	25.
Baptismus Joannis et Christi	28.
Joannis Baptistæ et aliorum testimonium de divinitate Christi	32.
Christus se omniscium demonstrat . . .	36.
Christi primum miraculum, quo discipulis manifestavit gloriam ſuam	55.
Christus Nicodemo se manifestat . . .	60.
Christus Evangelium prædicat	64.
Christi potestas in dæmones	69.
Christi miracula	72.
Asserta ab aliis	86.
Evangelica vitæ discipulorum Christi œconomia	90.
Apostolica ad constituendam ecclesiam missio.	96.
Sermo Christi in monte lex evangelica . .	98.
Apophtegmata ſingularia, ac paradoxa .	112.
Evangelii Œconomia parabolis explicata .	124.
Christus non iam in parabolis, ſed miraculis Filium Dei se probat	137.
Ultimus Christi ſermo	144.

Ee 2

	Pag.
Sermo de excidio urbis, et orbis . . .	151.
Christus Jerusalem moriturus ingreditur .	157.
Eucharistiæ institutio	160.
Lotio pedum	163.
Ultimus Christi ſermo ad discipulos . .	165.
Oratio Christi ad Patrem	170.
Christi passio et mors	174.
Christi post passionem et mortem ſuam resurrectio, et ascensio in cœlum . . .	179.
Divina Evangelii Christi in ſuis apostolis œconomia	186.

DE

SUBLIMI IN EVANGELIO CHRISTI CAPITA SELECTA.

Caput I. Verbi divinitas	194.
C. II. Adoptio filiorum Dei	200.
C. III. Verbi incarnatio	205.
C. IV. Verbi incarnati gloria	212.
C. V. Verbi incarnandi annuntiatio . .	220.
C. VI. Dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud?	224.
C. VII. Dixit autem Maria: ecce ancilla Domini	230.
C. VIII. Christus promissus Patribus . .	235.
C. IX. Christi genealogia, et generatio ex virgine	147.
C. X. Christus nasciturus in Bethlehem .	254.
C. XI. Christus natus pastoribus denuntiatur ab angelis	258.
C. XII. Gloria in excelsis Deo, et in terra pax.	262.
C. XIII. Nomen Jesu	266.
C. XIV. Magi Christum adorantes . . .	271.

Pag.

C. XV. Prophetia Simeonis de Christo, Anna prophetissa . . . . 277.
C. XVI. Jesus in medio doctorum in templo. 283.
C. XVII. Christus ætate et ſapientia proficiens . . . . 288.
C. XVIII. S. Joannes præcursor Domini . 294.
C. XIX. Filii Abraham . . . . 303.
C. XX. Christus a diabolo tentatur . . 308.
C. XXI. Christus agnus Dei a Joanne demonstratur . . . . 323.
C. XXII. Angeli in ministerio Christi . . 328.
C. XXIII. Christus morti tradendus, ſua virtute reſurrecturus . . . . 334.
C. XXIV. Baptiſmus novi teſtamenti . . 339.
C. XXV. Christi divinitas . . . . 344.
C. XXVI. Redemtio noſtra per crucem . 347.
C. XXVII. Sponſus, et amicus ſponsi . . 355.
C. XXVIII. Incrementum Eccleſiæ Chriſti, diminutio Synagogæ . . . . 365.

TOMUS II.

CAPUT XXIX. Adoratio in ſpiritu et veritate. 3.
C. XXX. Apoſtoli piſcatores hominum . . 9.
C. XXXI. Chriſtus prædicat Evangelium regni . . . . 14.
C. XXXII. Chriſtum ſequi volentes . . . 20.
C. XXXIII. Officiis erga Deum nihil præferendum . . . . 24.
C. XXXIV. Divina remittendi peccata poteſtas . . . . 29.
C. XXXV. Quomodo Chriſtus non venerit vocare iuſtos. . . . . 36.
C. XXXVI. Diſcipuli a Chriſto excuſantur, quod necdum ieiunent . . . . 40.

	Pag.
C. XXXVII. Miracula Christi in ſabbato .	45.
C. XXXVIII. Lex nova a Christo in monte data	49.
C. XXXIX. Octo beatitudines	54.
C. XL. Apoſtoli ſal terræ	68.
C. XLI. Apoſtoli lux mundi	72.
C. XLII. Christus perfecit legem	76.
C. XLIII. Scandala præſcindenda . . .	82.
C. XLIV. Dilectio inimicorum	88.
C. XLV. Vana gloria fugienda in eleemoſyna.	93.
C. XLVI. Oratio quomodo inſtituenda . .	97.
C. XLVII. Dimitte, et dimittetur tibi . .	103.
C. XLVIII. Jeiunium cum gaudio . . .	109.
C. XLIX. Theſaurus noster, et lucerna .	114.
C. L. Deo ſoli ſerviendum	118.
C. LI. Cura rerum temporalium	122.
C. LII. Officia charitatis proximi	125.
C. LIII. Angusta, et lata est via et porta .	129.
C. LIV. Epilogus ſermonis Christi in monte.	134.
C. LV. Leproſus mundatus	137.
C. LVI. Testimonium Christi Joanni renuntiatum.	141.
C. LVII. Regnum cœlorum vim patitur .	145.
C. LVIII. Christi et Joannis diſpar vitæ ratio	149.
C. LIX. Cui plus remittitur, plus diligit .	154.
C. LX. Dæmonurgia	158.
C. LXI. Potestas in dæmones, et curationum	165.
C. LXII. Signum Jonæ datum Judæis . .	169.
C. LXIII. Obſequia erga Deum omnibus præferenda	174.
C. LXIV. Parabolæ de regno Dei, præſentis temporis Eccleſia	181.
C. LXV. Apostolorum ſimplex prudentia .	188.
C. LXVI. Separatio a neceſſariis	192.
C. LXVII. Caro Christi vere est cibus, et	

	Pag.
ſanguis eius vere est potus	198.
C. LXVIII. Mala ex corde procedunt . .	211.
C. LXIX. Fides mulieris gentilis ſyrophœniſſæ	214.
C. LXX. Judæi ſignum a Christo petunt de cœlo	219.
C. LXXI. Petri prærogativæ ob agnitam præ cæteris Christi divinitatem . . .	226.
C. LXXII. Petri increpatio post promissionem clavium	233.
C. LXXIII. Crux cum Christo, mors pro Christo ferenda	239.
C. LXXIV. Transfiguratio Christi in monte	245.
C. LXXV. Didrachma ſolutum	249.
C. LXXVI. Parvuli humilitatis exemplum .	252.
C. LXXVII. Scandala. Ignis inextinquibilis.	258.
C. LXXVIII. Servus debitor, alii non remittens	265.
C. LXXIX. Servi inutiles ſumus	268.
C. LXXX. Variæ opiniones de Christo . .	271.
C. LXXXI. Flumina Spiritus ſancti . . .	277.
C. LXXXII. Mulier adultera	281.
C. LXXXIII. Christus se Deum Judæis profitetur	284.
C. LXXXIV. Judæi cæci	289.
C. LXXXV. Christus ostium ovilis, ostiarius et pastor	292.
C. LXXXVI. Mysteria ſapientibus abscondita	300.
C. LXXXVII. Jugum ſuave, et onus leve .	305.
C. LXXXVIII. Samaritanus proximus noster	315.
C. LXXXIX. Martha et Maria	320.
C. XC. Filialis fiducia in patrem cœlestem	325.
C. XCI. Pharisæi et ſcribæ	329.
C. XCII. Judæi a Christo ad pœnitentiam provocati	338.

Pag.
C. XCIII. Cura erga Israeliticum populum 341.
C. XCIV. Ignis in terram missus . . . 345.
C. XCV. Nemo se de vocatione ſua efferat 349.
C. XCVI. Excusationes invitatorum ad nuptias . . . . 354.
C. XCVII. Gaudium in conversione peccatorum . . . . 359.
C. XCVIII. Usus facultatum . . . . . . 363.
C. XCIX. Castitas ſeu continentia voluntaria 368.
C. C. Testimonium resurgentis a mortuis non admissum . . . . 376.
C. CI. Ubi fuerit corpus, illic congregantur aquilæ . . . . 380.
C. CII. Deus vindex electorum ſuorum . 391.
C. CIII. Nemo bonus, niſi ſolus Deus . 394.
C. CIV. Phariſæus et publicanus . . . 398.
C. CV. Lazarus ſuscitatus a mortuis . . . 403.
C. CVI. Caiphas prophetizans de morte Christi . . . . 408.
C. CVII. Consilium de occidendo Christo 413.

TOMUS III.

CAPUT CVIII. Christo ſtructæ insidiæ ad mortem . . . . 3.
C. CIX. Iter Jesu in Jerusalem . . . . 6.
C. CX. Ambitio filiorum Zebedæi . . . 10.
C. CXI. Parabola de regno Christi in hoc mundo . . . . 15.
C. CXII. Triumphalis Christi ingressus in Jerusalem . . . . 20.
C. CXIII. Turba acclamantium Christi discipulorum . . . . 26.
C. CXIV. Christus granum mortuum et ſepeliendum in terra multiplicandum . . 30.

Pag.

C. CXV. Christus in cruce omnia ad ſe trahens . . . . 35.
C. CXVI. Maledictio populi Judaici . . 39.
C. CXVII. De ſua poteſtate interrogatus Jesus a principibus ſacerdotum . . . . 43.
C. CXVIII. Filius reſipiscens, alter inobediens 47.
C. CXIX. Chriſtus lapis angularis . . . 51.
C. CXX. Parabolæ in Judæos parricidas . . 55.
C. CXXI. Reddere, quæ ſunt cæſaris, cæſari, et quæ Dei, Deo iubet Chriſtus . 59.
C. CXXII. Reſponſum Sadducæis materialistis datum . . . . 60.
C. CXXIII. Præceptum magnum charitatis Dei et proximi . . . . 73.
C. CXXIV. Chriſtus cuius filius . . . . . 84.
C. CXXV. Viduæ pauperis oblatio . . . 90.
C. CXXVI. Prædictum excidium templi Hieroſolymitani, urbis et orbis . . . . 94.
C. CXXVII. Excidium urbis et orbis: Gentis Judaicæ, Eccleſiæ gentium, et generis humani fata . . . . 101.
C. CXXVIII. Dies iudicii electorum expectatio Judæorum et gentium . . . . 108.
C. CXXIX. Tempus conſummationis ſæculi incertum . . . . 115.
C. CXXX. Ut ſemper vigiles ſimus, et parati 154.
C. CXXXI. Servus bonus et fidelis . . . 161.
C. CXXXII. Extremum iudicium . . . . . 164.
C. CXXXIII. Chriſtus paſcha noſtrum . . 168.
C. CXXXIV. Chriſtus in finem dilexit ſuos 172.
C. CXXXV. Chriſtus lavat diſcipulorum pedes . . . . 176.
C. CXXXVI. Inſtitutio ſacrificii novi teſtamenti . . . . 180.
C. CXXXVII. Chriſti clarificatio per paſſio-

Pag.

nem, et mortem in reſurrectione ſua . 207.
C. CXXXVIII. Mandatum novum mutuæ dilectionis . . . . 212.
C. CXXXIX. Apoſtoli contendentes, quis inter eos eſſet maior . . . . 215.
C. CXL. Chriſti pro Petro oratio, ut nunquam deficeret fides eius. . . . . . . 219.
C. CXLI. Lapſus Petri . . . . 223.
C. CXLII. Chriſtus via, veritas et vita . 229.
C. CXLIII. Viſio Patris in Filio . . . . 234.
C. CXLIV. Obedientia in charitate . . . 241.
C. CXLV. Pax Chriſti . . . . 245.
C. CXLVI. Chriſtus ad Patrem redit . . 249.
C. CXLVII. Chriſtus vitis, nos palmites . 253.
C. CXLVIII. Perfectio charitatis exemplo Chriſti . . . . 258.
C. CXLIX. Amici Dei ſimus, non ſervi . 261.
C. CL. Miſſio Spiritus S. Paracleti . . 265.
C. CLI. Triſtitia huius ſæculi convertenda in gaudium . . . . 269.
C. CLII. Chriſtus advocatus noſter apud Patrem . . . . 273.
C. CLIII. Pax, et fiducia in Chriſto victore mundi . . . . 276.
C. CLIV. Oratio Chriſti pro clarificatione. 281.
C. CLV. Oratio pro apoſtolis . . . . 286.
C. CLVI. Oratio pro unitate . . . . . 291.
C. CLVII. De ſalute electorum . . . . 297.
C. CLVIII. Immenſa Dei dilectio . . . 303.
C. CLIX. Mœror Chriſti in horto . . . 306.
C. CLX. Judæi, voce Chriſti proſtrati . . 312.
C. CLXI. Chriſtus ſe Filium Dei profeſſus coram ſynedrio . . . . 318.
C. CLXII. Ager figuli, ex proiectis a Juda triginta argenteis, emtus . . . . . . 322.

Pag.

C. CLXIII. Christus se regem profitetur coram Pilato . . . . 326.
C. CLXIV. Pilatus invitus Jesum condemnat, Judæi ſeipsos execrantur . . . . 339.
C. CLXV. Christus baiulans ſibi crucem . 344.
C. CLXVI. Mulieres plangentes Jesum; dum se, ſuosque plangere debebant . . . 347.
C. CLXVII. Christus affixus cruci pro crucifixoribus orans . . . . 350.
C. CLXVIII. Judæi blasphemantes Christum in cruce . . . . 355.
C. CLXIX. Christus in cruce matri providet. 361.
C. CLXX. Christus se derelictum in cruce clamans . . . . 365.
C. CLXXI. Mors Christi in cruce . . . 369.
C. CLXXII. Prodigia Christo mortuo . . 374.
C. CLXXIII. Christo iam mortuo non fregerunt eius crura . . . . 378.
C. CLXXIV. Resurrectio Christi . . . . 381.
C. CLXXV. Christus resurgens, se ascensurum in cœlum fratribus denuntiat . . 387.
C. CLXXVI. Increpantur discipuli tardi ad credendum . . . . 395.
C. CLXXVII. Christus pacem discipulis dicit . . . . 398.
C. CLXXVIII. Thomæ increduli increpatio. 403.
C. CLXXIX. Miraculosa piscatio post resurrectionem . . . . 408.
C. CLXXX. Petro oves ſuas pascendas, id est, Ecclesiam abiturus in cœlum committit . . . . 412.
C. CLXXXI. Apostoli ad prædicandum Evangelium missi . . . . 419.
C. CLXXXII. Ascensio Christi in cœlum . 428.

ELENCHUS TEXTUUM
NOTABILIORUM,
QUI IN HOC OPERE EXPLANANTUR JUXTA SERIEM
QUATUOR EVANGELIORUM.

MATTHÆUS.
TOMUS I.

CAPUT I. v. 18. Cum eſſet deſponſata mater eius etc. p. 247.
. . II. v. 2. Cum ergo natus eſſet Jeſus 271.
. . III. v. 2. 3. Venit Joannes Baptiſta prædicans etc. 294.
. . . . v. 9. Potens eſt Deus de lapidibus iſtis etc. 303.

TOMUS II.

C. IV. v. 18. 19. Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum 9.
. . V. v. 1. Aperiens os ſuum, et docebat eos etc. 49.
. . . . v. 1. 10. Beati pauperes ſpiritu etc. 54.
. . . . v. 13. Vos eſtis ſal terræ 68.
. . . . v. 14. 15. etc. Vos eſtis lux mundi 72.
. . . . v. 17. 18. Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem etc. 76.
. . . . v. 23. Circuibat Jeſus – prædicans evangelium regni 14.
. . . . v. 29. Quodſi oculus tuus dexter ſcandalizat te etc. 82
. . . . v. 43. 44. Diligite inimicos veſtros etc. 88.
. . VI. v. 6. Sic autem orabitis: Pater noſter etc. 97.
. . . . v. 14. 15. Si dimiſeritis hominibus peccata eorum 103.
. . . . v. 16. Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ 109.
. . . . v. 20. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo etc. 114.
. . . . v. 24. Nemo poteſt duobus dominis ſervire 118.
. . . . v. 25. Ne ſollicitì ſitis animæ veſtræ, quid manducetis etc. 122.
. . VII. v. 12. Hæc eſt enim lex et prophetæ etc. 125.

C. VII. v. 13. 14. Intrate per anguſtam portam p. 129.
. . . . v. 24. Aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit etc. 134.
. . VIII. v. 1. 2. 3. Domine, si vis, potes me mundare 137.
. . . . v. 21. 22. Sequere me, et dimitte mortuos ſepelire mortuos etc. 20.
. . IX. v. 5. 6. 7. Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua etc. 29.
. . . . v. 12. 13. Non veni vocare iustos, ſed peccatores 36.
. . . . v. 14. 15. Nunquid possunt filii ſponsi lugere etc. 40.
. . X. v. 1. Dedit illis potestatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos etc. 165.
. . . . v. 16. Estote prudentes ſicut ſerpentes etc. 188.
. . . . v. 34. Non veni pacem mittere, ſed gladium etc. 192.
. . XI. v. 11. Non ſurrexit maior inter natos mulierum etc. 145.
. . . . v. 16. Cecinimus vobis, et non ſaltastis etc. 149.
. . . . v. 25. Quia abſcondisti hæc a ſapientibus etc. 300.
. . . . v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis etc. 305.
. . . . v. 30. Jugum enim meum ſuave est etc. ibid.
. . XII. v. 29. Quomodo quis potest intrare in domum fortis etc. 158.
. . . . v. 38. 39. Signum non dabitur ei, nisi ſignum Jonæ 169.
. . . . v. 47. Ecce mater mea, et fratres mei etc. 174.
. . XIII. v. 3. Ecce exiit, qui ſeminat ſeminare etc. 181.
. . XV. v. 11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem etc. 211.
. . XVI. etc. Generatio mala et adultera ſignum quærit etc. 219.
. . . . v. 17. Beatus es Simon Bar-Jona: Quia caro etc. 226.
. . . . v. 20. etc. Vade post me ſatana, quia ſcandalum es mihi etc. 233.
. . . . v. 24. Si quis vult venire post me, abneget ſemetipsum etc. 239.
. . XVII. v. 23. Magister vester non ſolvit didrachma? etc. 249.
. . XVIII. v. 1. etc. Quis putas maior est in regno cœlorum etc. 252.
. . . . v. 32. Serve nequam, omne debitum dimisi tibi etc. 265.
. . XIX. v. 12. Sunt eunuchi, qui ſeipsos castràverunt etc. 368.
. . XX. v. 16. Erunt novissimi primi, et primi novissimi 349.

TOMUS III.

C. XX. v. 20. Nescitis, quid petatis etc. 10.
. . XXI. v. 9. Benedictus, qui venit in nomine Domini 20.

LUCAS.

TOMUS I.

CAPUT I. v. 26. Miſſus est angelus Gabriel etc. p. 220.
. . . . v. 32. Hic erit magnus etc. 235.
. . . . v. 34. Quomodo fiet istud etc. 224.
. . . . v. 38. Ecce ancilla Domini etc. 230.
. . II. v. 1. Exiit edictum a cæsare etc. 254.
. . . . v. 8. Pastores erant in regione etc. 258.
. . . . v. 13. Et ſubito facta est cum angelo etc. 262.
. . . . v. 21. Vocatum est nomen eius Jesus etc. 266.
. . . . v. 34. Ecce positus est hic in ruinam etc. 277.
. . . . v. 46. Invenerunt illum in templo etc. 283.
. . . . v. 48. Fili, quid feciſti nobis ſic? etc. 288.
. . VII. v. 20. Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? etc. 141.
. . . . v. 40. Duo debitores erant cuidam fœneratori etc. 154.

TOMUS II.

C. IX. v. 28. Assumsit Jesus Petrum, et Jacobum, et etc. p. 245.
. . . . v. 61. 62. Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro etc. 24.
. . X. v. 30. Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho etc. 315.
. . . . v. 38. Mulier Martha quædam accepit illum in domum ſuam etc. 320.
. . XI. v. 11. Quis ex vobis Patrem petit panem etc. 325.
. . XII. v. 49. Ignem veni mittere in terram etc. 345.
. . XIII. v. 1. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul etc. 338.
. . XIV. v. 16. Homo quidam fecit cænam magnam etc. 354.
. . XV. v. 1. Erant appropinquantes ei publicani et peccatores etc. 359.
. . XVI. v. 9. etc. Non potestis Deo ſervire et mammonæ 363.
. . . . v. 29. Habent Moysen et prophetas; audiant illos etc. 376.
. . XVII. v. 7. Dicite, ſervi inutiles ſumus 268.
. . . . v. 34. Dico vobis; in illa nocte erunt duo in lecto uno etc. 380.
. . XVIII. v. 5. Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? 391.

C. XVIII. v. 9. Phariſæus et publicanus 398.
. . . . v. 18. Nemo bonus, niſi ſolus Deus 394.

TOMUS III.

C. XIX. v. 11. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam p. 15.
. . . . v. 39. Quia ſi hi tacebunt, lapides clamabunt 26.
. . XXI. v. 5. Non relinquetur lapis ſuper lapidem 94.
. . . . v. 23. Jeruſalem calcabitur a gentibus 101.
. . . . v. 28. Appropinquat redemtio veſtra 108.
. . XXII. v. 17. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur 180.
. . . . v. 22. Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor 215.
. . . . v. 32. Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua 219.
. . XXIII. v. 4. Pater, dimitte illis 350.
. . . . v. 28. Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos etc. 347.
. . . . v. 46. Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum 369.
. . XXIV. v. 25. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum etc. 395.
. . . . v. 51. Receſſit ab eis, et ferebatur in cœlum 428.

J O A N N E S.

TOMUS I.

CAPUT I. v. 1. In principio erat Verbum etc. p. 194.
. . . . v. 12. Quotquot receperunt eum etc. 200.
. . . . v. 14. Et Verbum caro factum eſt etc. 205.
. . . . v. 14. Et vidimus gloriam eius etc. p. 212.
. . . . v. 29. Ecce Agnus Dei etc. 323.
. . . . v. 50. Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum etc. 328.
. . II. v. 19. Solvite templum hoc etc. 334.
. . III. v. 5. 6. Niſi quis renatus fuerit ex aqua etc. 339.
. . . . v. 12. Si terrena dico vobis, et non creditis etc. 344.
. . . . v. 14. Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem etc. 347.
. . . . v. 29. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt etc.
. . . . v. 30. Illum oportet creſcere, me autem minui 365.

TOMUS II.

C. IV. v. 21. 22. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu et veritate p. 3.
. . VI. v. 48. Ego ſum panis vitæ etc. 198.

C. VII. v. 26. Nunquid vere cognoverunt principes, quia hic eſt Chriſtus etc. 271.
. . . . v. 37. Si quis ſitit, veniat ad me etc. 277.
. . VIII. v. 3. Mulier, ubi ſunt, qui te accuſabant? 281.
. . . . v. 56. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent etc. 284.
. . IX. v. 39. In iudicium ego veni in hunc mundum, ut, qui non vident, videant etc. 289.
. . X. v. 1. Qui non intrat per oſtium in ovile etc. 292.
. . XI. v. 41. Lazare veni foras etc. 403.
. . . . v. 47. Quia expedit vobis, ut unus moriatur pro populo etc. 408.

TOMUS III.

C. XII. v. 24. Qui amat animam ſuam, perdet eam p. 30.
. . . . v. 31. Nunc iudicium eſt mundi etc. 35.
. . XIII. v. 2. Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos 172.
. . . . v. 4. Cœpit lavare pedes diſcipulorum 176.
. . . . v. 31. Nunc clarificatus eſt filius hominis 207.
. . . . v. 33. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem 212.
. . XIV. v. 5. Ego ſum via, veritas et vita 229.
. . . . v. 7. Si cognoviſſetis me, et Patrem meum cognoviſſetis 234.
. . . . v. 15. Si diligitis me, mandata mea ſervate 241.
. . . . v. 27. Pacem meam do vobis 245.
. . . . v. 28. Gauderetis utique, quia vado ad Patrem 249.
. . XV. v. 1. Ego ſum vitis vera 253.
. . . . v. 8. Manete in dilectione mea 258.
. . . . v. 13. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis etc. 261.
. . XVI. v. 7. Si non abiero, paracletus non veniet ad vos 265.
. . . . v. 19. Modicum et non videbitis me etc. 269.
. . . . v. 24. Petite et accipietis 273.
. . . . v. 33. In mundo preſſuram habebitis 276.
. . XVII. v. 3. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum etc. 281.
. . . . v. 10. Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi 286.
. . . . v. 11. Serva eos, quos dediſti mihi, ut ſint unum 291.
. . . . v. 20. Sed et pro eis rogo, qui credituri ſunt in me etc. 297.
. . . . v. 26. Ut dilectio, qua me dilexiſti, in ipſis ſit 303.

C. XVIII. v. 5. Dicit eis Jesus: Ego ſum 312.
. . . . v. 36. Tu dicis, quia rex ſum ego 226.
. . XIX. v. 16. Tradidit eis illum, ut crucifigeretur 344.
. . . . v. 26. Dicit diſcipulo: Ecce mater tua 361.
. . XX. v. 17. Aſcendo ad Patrem meum etc. 387.
. . . . v. 19. Dixit eis: Pax vobis etc.
. . . . v. 29. Beati, qui non viderunt, et crediderunt 403.
. . XXI. v. 6. Mittite in dexteram navigii rete etc. 408.
. . . . v. 15. Simon Joannis diligis me plus his? 412.

TOMI TERTII FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]
[illegible]
[illegible]